IO. AMOS COMENII,
ECCL. FF. BOH. EPISCOPI.

DE

RERVM HVMANARVM EMENDATIONE CONSVLTATIO CATHOLICA,

AD GENVS HVMANVM

Ante alios vero

AD ERUDITOS, RELIGIOSOS, POTENTES,

EVROPAE.

HALAE, Typis & impensis Orphanotrophii. 1702.

Digitized by Google

Ierem. XLIX. v. 7.

Numquid non vltra eſt ſapientia in Themam! Periit CONSILIVM a filiis? inutilis facta eſt ſapientia eorum?

Prouerb. XV. v. 23.

Diſſipantur cogitationes, vbi non eſt CONSILIVM: vbi vero plures ſunt CONSILIARII, confirmantur.

Iob. XXXIV. v. 2. 4.

Audite ſapientes verba mea, & eruditi auſcultate me. IVDICIVM eligamus nobis, & inter nos videamus quid ſit melius.

Digitized by Google

LECTORI AMICO.

Et huius ſcripti auctor eſt IO. AMOS COMENIVS. Hic vir qualis quantusq; fuerit, paucis tibi, L. B. praeoſtendere conſultum eſſet; ſed, cum vitam eius vir eruditus propediem edet deſcriptam, poteris inde petere, quae ſcitu & neceſſaria & ſalutaria ſunt. Hoc tamen te nolo ignorare, quod Morauus fuerit, & varia per vitam munera, cum eccleſiaſtica tum ſcholaſtica, geſſerit, ad quae natus etiam videbatur. Etenim iſtis animi dotibus praeditus fuit, quibus inſtructi eſſe debent eiusmodi muneribus praeficiendi, dexteritate ſcilicet ad docendum, & pietate, coniuncta cum pari prudentia. Dexteritatis documenta praeſto ſunt clariſſima. Habemus *Opera* eius *Didactica*, quae Amſtelodami 1657. in fol. excuſa ſunt. Si per inſtitutum nobis liceret, ire per ſcripta ſingula, quae hoc volumine continentur, & cuiusuis exſcribere argumentum, quam pie, clare, perſpicue & diſtincte omnia praeceperit, pateret. Hoc enim ſibi propoſuit, * *vt inueſtigaret & inueniret modum, quo docentes minus docerent, diſcentes vero plus diſcerent; ſcholae minus haberent ſtrepitus, nauſeae, vani laboris; plus autem otii, deliciarum, ſolidique profectus: res publica Chriſtiana minus tenebrarum, confuſionis, diſſidiorum; plus lucis, ordinis & tranquillitatis.* Ad quae vt & reliqui, qui de ſtudiorum ratione commentaturi ſunt, reſpiciant ſemper, optandum eſt. Ad alteram virtutem, quae pietas eſt, quod attinet, eo minus dubitare de ea poſſumus, quo magis illi deditus fuit, & inculcauit aliorum animis. Ipſa pietatis praecepta & ſubſidia, quae P. 1. opp. did. c. 24. ſuppetunt, ſi conſidero, nullis amplius rationibus indigere videtur noſtra ſententia. Fac vero, haec, quae attulimus, teſtimonia deeſſe, quid iudicabis, ſi in medium protulero eiusdem *Opus*, quod vocat *Panſophicum?* convocauit ibi omnis ordinis & loci viros, quotquot in Europa habitant, & conſilia illis ſubminiſtrat, quomodo delectus ſtudiorum conſultior inſtitui, & inprimis pietas ſanctique mores fructibus ad imitationem peruenire poſſint. Intelligebat enim vir prudens, & rerum diuinarum humanarumque vſu peritus, quam prolapſae res eſſent

* *Op. did. P. I. f. 6.*

Digitized by Google

Christianorum, quam longe non Romana tantum Ecclesia ab apostolorum institutis & disciplina desciuisset; sed etiam, quam procul illi abessent a verae Ecclesiae imagine, qui & doctrinae & morum emendationem suscepisse videbantur. Itaque omnia eius consilia & labores eo ibant, vt rebus Christianorum subueniret laborantibus. Nunquam autem antea opus, cuius mentionem fecimus, diuulgatum fuit. Ignotum quidem eruditis non erat, extare Comenii consultationes de vniuersali rerum humanarum emendatione, & magnopere eas vel videre vel legere desiderabant; sed quam paucis contigit? Nos ipsi, quibus eadem est voluntas, vt publicae saluti prosimus, diu in operis desiderio fuimus. Tandem singulari Dei prouidentia factum est, vt ea omnia in manus nostras peruenirent, quae ad opus pansophicum pertinent. Consultissimus enim vir, & Comenio amicissimus, IVSTVS DOCEMVS, pro singulari sua erga nos beneuolentia, cum ante duos annos apud nos esset, nobis reliquit, vt in vulgus edi ea curaremus. Itaque & multis gratum, & plerisque fructuosum existimauimus, nunc ea, quae permulti auide expectarunt, publicare. Ideo autem hanc PANEGERSIAM historiae fratrum Bohemorum adiunximus, quia vtriusque libelli argumenta non multum inter se dissidere videntur. Quodsi videbimus, PANEGERSIAM tuo desiderio satisfeciisse, reliqua inposterum vtitentidem edantur, diligenter curabimus. Vale, & his interea bene vtere.

Digitized by Google

EVROPÆE LVMINA,
VIRI DOCTI, PII, EMINENTES,
Saluete!



Ex fuit Athenis, in Areopago, ἄνευ προοιμίων καὶ πάθους. Vos mihi magnae Athenae, Vos magnus Areopagus estis, Viri magni! legem tamen istam non audio. Primum, quia res momenti maioris vobis offertur, ac vlla vnquam Areopago fuit; non praemonuisse id, culpae fuerit. Deinde quia plerosque occupationibus sic distractos video, vt nisi singulari aliqua ratione excitati, audituri non sitis: non audituris vero talia dici, non conuenit. Tandem aduersus praeiudicia mihi, & causae, non scuto solum, sed muro aheneo, iamnunc cum primum prodeo, opus esse sentio: hoc igitur me, pace vestra, praemuniam. Prooemii ratio

2. Quid aggrediamur videtis! *de emendatione rerum humanarum consultare catholice*: hoc est, modis ac vnquam ab exordio rerum factum, vniuersalioribus & solemnioribus. Nihil igitur nouum, quantum ad rem; toto genere nouum, quantum ad modum rei. Nempe nunquam adhuc mentes humanas, ab ipso vsque rerum prolapsu, tantus inuasit stupor, quin mala sua & sentirent, & deplorarent, & aliquam in melius mutationem anhelarent, imo & pro viribus molirentur Operis coepti vetustas, simu & nouitas.

Digitized by Google

tur, hominum cordatiores, quouis aeuo, gente, ſtatu. Nunquam tamen hucusque in emendationem corruptelarum omnium conſpiratum eſt ab omnibus: quod iam ſuadetur, fierique totius mundi bono poſſe, oſtenditur.

Emendationem rerum cordatiores hominum moliuntur ſemper: ſed particulariter fere, ideoque profectu exiguo.

3. Quantum ad prius: *omnium ſapientum cogitata, dicta, facta, quae ab vltima antiquitate ſcriptis ad nos transmiſſis tanto numero exſtant, quotidieque plura emergunt, teſtimonio ſunt.* Quorum omnium conatus ſi a conſilio ſpectentur, laudabiles: ſi a mediis vſurpatis, varii; ſi ab euentu, omnes hucusque votis parum reſpondentes, iudicari poſſunt. Manent enim confuſiones mundanae, vti ſemper; nec loco motae ſunt, quantum ad generis humani communitatem, tametſi particulariter multa in multis, DEI beneficio, inſigniter emendentur indies, ſed & relabantur denuo in chaos.

Vniuerſalibus ego viis, nondum tentatis, tentandum hoc idem.

4. Tentare igitur, num in commune etiam tam variae, abſurdae, exitialesque enormitates efficacius aliquo modo emendari, & tandem tandemque aliquando a genere humano vniuerſaliter tolli poſſint, quid prohibet? Et quid prohibet, nos etiam poſt alios, aliosque rurſum poſt nos, tentare idem? Res profecto haec tanti eſt, vt millies auſis excidere, quam eam non millies tentare, praeſtet. Praeſertim ſi quid viae nouae, nondum tentatae, oſtendat DEVS: qualem eſſe patebit. Prorſus enim vniuerſalis eſt, vltimos deſideriorum humanorum (plus dicam, DEI etiam ipſius) hac in re *fines* deſignans: & *media* ad hos fines nos deducere idonea, certa, fallere neſcia, veſtigans, eueſtigataque iam ope DEI oſtendens: tandemque mediis illis vtendi *modos* tam facile exhibens, vt nihil reſtet niſi VELLE, & inuocato diuino auxilio a ſeculis deſiderato operi ADMOVERE MANVM.

Sequentis operis partes ſeptem.

5. Viam hanc vt opere ſequenti explanate in conſpectu omnium ponamus, ſeptem haec ordine agimus.

I. *Excitatorium ſniuerſale.*

6. Primo, *quid per res humanas intelligendum veniat, determinamus: commercium* nempe *hominum cum rebus*, quibus

Digitized by Google

bus potenter dominari, & *cum ſeipſis*, quibus rationabiliter conuerſari; *& cum DEO*, cui aeternum ſubeſſe, illiusque voluntati ſuam conformando aeternae cum ipſo cohabitationi ſeſe praeparare, iuſſi ſunt ad imaginem creatoris homines: verbo, *ERVDITIO*, *POLITIA*, *RELIGIO*. Tum oſtenſo qualia haec tria, ſi in idea ſua ſecundum DEI intentionem conſiderentur, eſſe oporteat, nihil horum ita eſſe, omnia in cofuſionem prolapſa, euincitur: idque ad excitandum miſeriae noſtrae ſenſum, emendationisq; (ſi vllo modo poſſibilis ſit) deſiderium. Haec prima pars inſcribitur PANEGERSIA, h. e. EXCITATORIVM VNIVERSALE.

II. *Panaugia.*

7. *Tum veſtigamus poſſibilitatis vias, reperirique confuſionum humanarum tenebris efficaciter emouendis vnam ſolam, ſed patentem & potentem*, LVCEM MENTIVM per omnia ſe diffundentem, oſtendimus. Haec pars vocabitur PANAVGIA, h. e. *lucis vniuerſalis via.*

III. *Pantaxia ſeu Panſophia.*

8. Exinde veſtigamus, *quomodo ad lucem hanc res omnes cancellis includi poſſint*, vt fiat in conſpectu mentis *catena rerum omnium perpetua, nusquam interrupta, vno intuitu OMNIA, quae vsquam ſunt, ea ſerie qua ſunt, & eo modo quo ſunt, conſpectui exhibens.* Eritque id *PANTAXIA, rerum vniuerſalis coordinatio:* quae ante hac *PANSOPHIAS nomine deſignata fuit.*

IV. *Pampaedia.*

9. Quarta parte quaerimus *modum, cancellis eiusdem luis includendi hominum MENTES:* vt nemo non, politurae adhibitus, illam rerum compagem, & omnia quae ſub coelo poſſunt, capere poſſit. *PAMPÆDIAM* vocabimus, *culturam vniverſalem mentium.*

V. *Panglottia.*

10. Quinto loco *eandem lucem dilatandi quaerimus modos, vt potenter penetrare queat per omnes gentes & populos, & linguas totius mundi.* Quod cum fieri nequeat niſi vehiculo linguae, vocabimus hanc conſultationis partem *PANGLOTTIAM*, h. e. *linguarum vniuerſalem culturam.*

VI. *Panorthoſia.*

11. Sexto oſtendimus, *quomodo beneficio omnium praecedentium emendari iam poſſit ERVDITIONIS, RELIGIONIS, POLITIARVMq; ſtatus*, an inducendum mundo, iubente DEO, ſe-

Digitized by Google

seculum illuminatum religiosum, pacatum. Id nomine *PANORTHOSIAS*, h. e. *reformationis vniuersalis*, designamus.

VII. *Exhortatorium vniuersale.*

12. Tandem post demonstratum ad oculum omnium illorum possibilitatem, imo & per detectas iam vias DEI facilitatem, *exhortationes fient ad omnes vos, o eruditi, religiosi, potestatesque seculares, & ad omnes denique in vniuersum Christianos pro his tam optatis & optandis rebus serio aggrediundis.*

Qua fiducia haec tanta aggredi audeat, qui haec mouet.

13. Hoc praesentis operis nostri argumentum est. Quod dum sic explicare incipio, merito in mentem venit, quod Macrobius scribit: *Virgilium de se, & coepto opere suo, dicere solitum sub initia: tanta inchoata res est, vt pene vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar.* Si quid simile hic est (est autem longe etiam magis) misereatur nostri DEVS, & quod supra vires nostras est, virtute sua ipsemet expleat! Est certe negotium supra vires: sed magnitudo praemii, si consilium succedat, omnem difficultatis, nedum impossibilitatis, imaginationem ex animo eluat. *Amor laborem non sentit.* Si amamus DEVM, si proximos, si animas ipsimet nostras, hoc agamus quod vehementer prosit. *Si potes credere* (dixit Christus hominis fidem pertentans) *omnia possibilia sunt credenti.* Ille autem cum lachrymis: *credo Domine: adiuua meam incredulitatem* (Marc. IX. v. 22.) O Domine non ignoras tu infirmam quoque fidem nostram, & imbelles vires nostras, ad haec tanta! Nec tamen ignoramus nos, quid possit in imbecillitate nostra virtus tua. Succurre igitur languidae fidei nostrae! succurre infirmis viribus! vt opus hoc misericordiae sit tuae, non nostrum: fiatque per imbecilla organa tua, quicquid hic, vt fieret, praedecreuit manus tua!

Et quas ob caussas a Christianis primū audiri petat.

14. Quae autem his de rebus cogitare, optare, inuenireque nobis dederit DEVS, antequam enarrare incipiam, ad vos primum orbis Christiani luminaria, *viri sapientes, denoti, sublimes*, cuiuscunque religionis, aut gentis, conuersus, sublata voce clamo: & vt *VOCES NOSTRAS AVDIRE OMNIBVS VOBIS LIBEAT, per DEVM, & quic-*

Digitized by Google

quicquid vsquam aut eharum aut ſacrum eſt, oro & obteſtor, his de cauſis.

15. *Primum*, quia hic negotium communis ſalutis agitur: non aliter id melius, quam communibus ſuffragiis agi poſſe, haud temere mihi perſuaſi, perſuaſumq; pariter vobis omnib⁹ eſſe percupio. Omnes certe & ſingulos veſtrum, non minus aut me, aut mortalium quenquam, omnia iſta quae propoſituri ſumus, ad vltimas vsque minutias, concernunt. *Cur ergo haec absquevobis; aut clam vobis, acta velimus? publica in publico fiant. Quod omnes ex aequo tangit, omnes agant, aut certe ſciant.* Illud enim, NIHIL DE NOBIS SINE VOBIS, non vnius alicuius gentis praerogatiua, publicaeque libertatis ſuae, baſis eſt: eſt toti generi humano diuinitus conceſſum priuilegium. Quod dum paſſim violamus, aliique de aliis ſine illis conſultamus, decernimus, exequimur: fit vt ſuſpicionum, quaerelarum, rixarum, violentiarum, reluctationum, cladium denique mutuarum, nullus ſit finis. Vt ergo alia ab aliis conſilia & actiones occultare; & priuatim quisque ſibi operari, deſinamus, incipiamus potius in commune conſulere omnes, en exemplo praeimus!

1. Quia haec Chriſtianos primum reſpiciunt.

16. *Secundo*, ad conſiliorum communionem ſolenniter inuitare cogit omnes vos, o reipublicae Chriſtianae proceres, *principalis intentionis noſtrae finis: qui eſt, CHRISTVM, lucem gentium, annunciare iam gentium reliquiis.* Mandauit enim Chriſtus apoſtolis ſuis, eorumque ſucceſſoribus, ire in mundum vniuerſum, euangeliumque praedicare omni creaturae &c. praeſentiam ſuam promittens ad conſumationem vsque ſeculi (Matt. XXVIII.) Quod ſuo tempore apoſtolos feciſſe, euangeliumque de gente in gentem propagaſſe, teſtimonio eſt orbis Chriſtianus: deferbuiſſe autem zelum illum in nobis eorum ſucceſſoribus, teſtis eſt reliquus adhuc infidelium mundus. De qua negligentia ſuo iam tempore queſtus eſt beatus Chryſoſtomus (exponens illa verba Chriſti, Matth. XIII. *Simile eſt regnum coelorum fermento*) his

2. Quid ad Chriſtianae fidei propogationem tendunt.

Digitized by Google

verbis: *ſi duodecim homines totam pene farinam orbis fermentarunt, diligenter animo verſa, quaeſo, quanta ſit noſtra malignitas atque ignauia: qui cum innumeri ſimus, has gentium reliquias conuertere non poſſumus, qui vel mille mundis ſatisfacere deberemus? &c.* Recte id, ſapienter, pie. Profecto enim ſi nos charitatis diuinae inflammaret ardor, non ſatis eſſe putaremus nos euangelii luce colluſtratos eſſe, imo ipſos eſſe (vt apoſtolus loquitur) lucem in Domino. Commiſereſceret nos etiam tenebrarum, quae operiunt terram: vtque luce eadem circumfulgeatur quicquid ſupereſt gentium, optare, orare, quantumque in nobis eſt allaborare, non intermitteremus. Sed id negligentius actum eatenus; lucique aduerſus tenebras victoriam legitimis viis aut non quaeſitam, aut inſcite quaeſitam, res ipſa teſtatur. Inde factum: vt nos Chriſtiani tantillum terrae angulum (& nec eum quidem totum ac tranquille) poſſideamus; toto reliquo orbe Chriſtum, mundi lucem aut ignorante, aut blaſphemante. Sed & alia quae ad humanitatis culturam ſpectant, *mores*, *politia*, *artes*, apud nos fere tantum vigent: alibi *feritas*, *barbaries*, *tenebrae*, nec propagandi potenter ſiue fidem; ſiue litteras & artes, ſiue politiam, quidquam fere nobis mediorum eſt amplius: vſurpatis hactenus nullam amplius vim exſerentibus. Annon igitur tam altum dormientes Chriſtianos, interitusque ſui & proximorum nimium ſecuros, extraordinario aliquo clamore excitandi tempus eſſe putabimus? *Crates Thebanus*, cum neglectae vulgo liberorum educationis admonere vellet parentes, turrim ſibi dari optabat, vnde inclamare omnes, & axaudiri ab omnibus, poſſet: ſed eam non reperit. Nos genus humanum neglectae ſalutis admonituri, TVRRIM eiusmodi ante nos videre videmur: nondum quidem paratam, ſed parari (cooperante induſtriae noſtrae DEO) facilem. Quidni ergo erigere eam, & conſcendere, totumque alloqui mundum, feſtinamus? Quae tamen res cum multorum requirat oculos & manus, eam ad omnes vos iunctim, qui Chriſtiani eſtis, deferimus. *Tros Rutilusue*

Digitized by Google

lusue fuat quis, nullo hic nobis discrimine habetur. Non gentium, aut sectarum, factionumque inter nos (siue philosophicarum, siue religiosarum, siue politicarum) respectus nobis nullus est: (quippe vnionem qui suadet, factionum studia ignoret necesse est.) Non alio inquam nomine omnia haec vobis omnibus offeruntur, nisi *quia, Christiani estis: de regno Christi non distrahendo, sed vniendo, non coarctando, sed ampliando, non obscurando, sed illustrando; curas solicitudinesque agitare sacramento obligati. Tum & quia docti & sapientes estis;* nonsolum rationes, quibus rudes barbaros artibus diuinis (ad lucis nobiscum participationem) circumveniamus, diiudicare gnari: sed & inuentiones inuentionibus cumulare, & consilia consiliis roborare, idonei.

17. Causa *tertia* est; *quod cum has ipsas lucernas*, quibus communem fidei nostrae lucem (post scientiarum flammulas) sedentibus in tenebris offerre paramus, *offerre necesse fuerit nomine Europaei nostri orbis communi:* (plus enim ponderis habere poterit, ad studia communis salutis, inuitatio publica, tanquam omnium ad omnes, quam si eam tentet vnus, aut pauci, suo aut suae gentis, religionis, sectae, nomine:) *nos primum inter nosmetipsos de re tota conuenire necessum fuerit.* Nos nimirum Europaei vna quasi communi vehimur naui: contemplamurque *Asianos, Africanos, caeterosq;* vt suis nauiculis in eodem communi mundi & mundanarum calamitatum (ignorantiae, superstitionum, seruitutisque miserrimae) Oceano fluctuantes. Iam itaque si nobis noster Christus, nostra nunc nobiscum naui vectus, abunde benedixit, & de diuitiis abyssi mysteriorum suorum rete nostrum impleuit: ecquid melius cogitare possumus, quam vt innuamus sociis, qui sunt in aliis nauibus, vt veniant & iuuent nos? si venerint, felicius deduxerimus nauem nostram, benedictione diuina oppletam, ad portum: fiet tandem, vt relictis mundanis illis, quibus nos ad se trahit (scientiis, artibus &c.) Illum sequamur puriore affectu, quam eatenus non satis cognitum secuti sumus plerique.

3. Quia Christiani orbis nomine, reliquis offerenda sunt.

Digitized by Google

4. Quia Christianis primū & ante alios, ad ſedandos bellorum furores neceſſaria.

18. *Quarto*, talia haec tentandi, vobisque ante alios offerendi, occaſionem dedit Deus horrendo illo irae ſuae diluuio, quod nunc ſuper habitatores terrae, nos inprimis Europaeos, effudit: *concitatis omnium aduerſus inuicem gladiis, vt pugnat gens contra gentem, & ciuitas contra ciuitatem, quia dominus conturbat omnes.* (2. Par. XV. 6.) In qua vniuerſali confuſione opus profecto iam eſt aliquo *Elia: qui conuertat cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres, ne forte veniens dominus percutiat terram anathemate.* (Malach. IV. 5. 6.) Quis autem Elias ille? & quomodo auerſos a Deo conuerter, imminentem vero maledictionem a terra auertet? Teſtatur apud Ezechielem DEVS, tempore irae ſuae contra populum ſuum *quaeſiuiſſe ſe virum aliquem, qui interponeret ſepem; & ſtaret oppoſitus contra Deum pro terra, ne diſſiparet eam, & non inueniſſe ſe. Effuſurum itaque ſe indignationem ſuam, & in igne irae ſuae conſumturum eos.* (Ezech. XXII. 30. 31.) Liquet inde, licere cuicui ineruenire; & de auertenda ira Dei, modis quicunq; excogitari poſſunt omnibus, eſſe ſolicitum. Quibus autem potius, quam exorando DEVM, vt parcat? homines vero admonendo, vt ſe inuicem, & DEVM contra ſe iunctim, irritare deſinant? eoque modo vt cor paternum conuertatur ad filios hominum: & cor filiale hominum conuertatur ad patrem coeleſtem. Ipſorum quoque hominum corda vt redeant ad inuicem, tantos poſt furores, conſulendi tempus eſt. Quomodo autem melius, quam *Orpbei* aliqua ſuauiſſimae harmoniae cithara? Cicero pacata orbi tempora, ſeu praeſagiens, ſeu gratulans, dixit: *cedant arma togae, concedat laurea linguae.* Nos igitur furioſo marti, qui orbem Chriſtianum depopulatus eſt, vt ceſſet & pereat optantes, *populique omnes vt fiant haereditas Chriſti, grex vnus, placidiſſime accubans & paſcens.* (Ieſ. XI. 6.) *populus conflans gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces; vt non leuet gens contra gentem gladium, nec exerceantur vltra ad praelium,* (Cap. II. 4.) quid niſi citharam talem, qua a feritate ad manſuetudinem reducantur omnium hominum animi, nobis optemus? quid niſi, ſi inven-

Digitized by Google

venta eſt, in medium prodeamus, ſuauiterque intonare incipiamus? oſtendit autem nobis, ſuauiſſime per orbem iam iam inſonituram *panharmoniae citharam*, ſuauiſſimus pater. Si extendere manum, citharam prehendere, digitis noſtris adaptare, pulſare, dulcique modulo furentium aures & animos demulcere negligimus, ingrati ſumus, & vt contemtores DEI ac hominum puniemur. Poſt oſtenſas ergo nobis a DEO certas *lucis & veritatis vias*, dicendum fuit cum leproſis illis quibus ad obſeſſam Samariam primum hoſtilis fuga, diuinumque liberationis beneficium, innotuerat: *dies iſte dies boni nuntii eſt, & nos taceremus? ſi exſpectauerimus vsque mane, ſceleris arguemur. Eamus & nunciemus haec in aula regis. Iueruntque ad portam & nuntiarunt haec ianitoribus.* (2. Reg. VII. 9. 10.) Vos ergo o eruditi, generis humani ad ſapientiam ianitores! vos o theologi, regni coelorum ianitores, primum inuocandi nobis eſtis, vt haec nuntietis in aulis regum: miſertum noſtri DEUM, viamque oſtendere nobis, quomodo felicitatis noſtrae hoſtes, hactenus nos obſidentes (barbariem, impietatem, omnisque generis confuſiones noſtras) feliciter perſequi valeamus!

19. *Quinta* cauſſa, quae opus generi humano dedicandum vobis ante alios offerre coegit, ſunt *ipſius praeſentis ſeculi, mirabile quidpiam parturientis, & ſe in melius diſponentis, apud vos prae aliis vndique erumpentes conatus.* Vix enim vnquam ab orbe condito tale fuit ſeculum, quale hoc noſtrum eſt: in quo ſcilicet euidentius impletum ſit illud: *plurimi pertranſibunt, & multiplicabitur ſcientia*, (Dan. XII. 4.) Feliciter enim pertranſeunt multi coelum & terram; eruuntque & detegunt in dies plura myſteria. *Quod ſi circa particularia pulchre paſſim procedit: quidni aliquid prorſus vniuerſale tentandi tempus ſit?* atque ſi exiguae illae lucis panharmonicae nuper apud nos in Europa excuſſae, & ſub titulo *Ianuae linguarum* foras ſparſae ſcintillulae, tanta celeritate per Aſiam vsque volitare, in ipſisque etiam infidelibus maiorum deſiderium excitare coeperunt, vt ſimilis ſtyli plura iam poſcant: quidni

5. Quia ſimiles conatus, quos chriſtianismi parturiunt viſcera, promouendi.

Digitized by Google

quidni hoc ſic interpretari liceat, quomddo Paulus ſomnium ſuum de viro Macedone, vt veniret & ſuccurreret, interpretatus eſt? nempe a Domino ſe vocari ad euangelizandum illis (Actor. XVI 9. 10.) Cum vero apud vos, o Chriſtiani, non tantum ſint *Moſes* illi, populi DEI duces; nec *Aarones* tantum, cultus DEI veri antiſtites; ſed & *Beſeleeles* & *Ocholiabi*, quos DEVS implenit ſpiritu ſuo, ſapientia & intelligentia, & ſcientia in omni opere, ad excogitandum quicquid fabre fieri poteſt (Exod. XXX. 1. 2.) merito *Panharmonicum hoc vniuerſale opus* ante alios vobis ſpectandum, continuandum, vrgendumque in gloriam DEI offertur.

6. Et prouocanda catholicae reformationis, inter chriſtianos iam concepta ſpes.

20. *Sexto, ſupereſſe mundo cataſtrophen ſuam* (comoediam enim nobiscum ludit ſapientia DEI in orbe terrarum) *intelligunt omnes: Theologique omnium partium agnoſcere iam incipiunt, appropinquare dies vocis ſeptimi angeli: cuius tuba cum coeperit ſonare, conſummabitur myſterium DEI, quod praenunciauit per ſeruos ſuos prophetas* (Apoc. X. 7. Myſterium quale ſit, patet e capite ſequenti, v. 15. vbi dicitur: *poſtquam ſeptimus angelus clanxit auditas eſſe in coelo voces magnas dicentes; facta ſunt regna mundi Domini noſtri & Chriſti eius, qui regnabit in ſecula ſeculorum.* Hoc eſt myſterium illud DEI, praenunciatum per omnes prophetas: *regnum Chriſti explicatum tandem iri ad omnes gentes toto ſub coelo.* Quemadmodum ipſe Chriſtus praedixit (Matth. XXVI. 6.) & ante ipſum omnes prophetae veteris teſtamenti: maxime *Ieſaias*, *Ezechiel*, *Daniel*, *Oſeas*, *Sophonias*, *zacharias*; quorum omnium prophetici libri in triumphum Eccleſiae, regnumque ſanctorum ſub coelo, deſinunt. Suntque iam, qui in *cantico canticorum*, aliisque hiſtoricis etiam ſcripturae libris, reperiunt idem. Atque propheticum hoc lumen enitere incipit magis magisque: in quo omnes illi qui iudicia DEI ſcrutantur videut, *reſeruatam eſſe vltimis ſeculis illuſtrem orbis reformationem per omnes gentes.* (Videatur etiam e Romano-Catholicis *Thomas Campanella*, quae *de regno DEI, & monarchia Meſſiae, ſcripſit.*) Ergo dum alii dulcem meliorum ſpem oraculis diuinis fouent; & in-

tem-

Digitized by Google

tempora, modosque complementorum ex harmonia praedictionum & euentuum (ſecundum gratiam ſibi quisque datam, luminisque illius prophetici gradum) venantur; tandemque quicquid videre dat DEVS iudicio eccleſiae publico exponunt: *ſpiritus enim prophetarum ſubiecti ſunt prophetis*, 1. Cor. XIV. 32.) Viſum eſt nobis quoque illa, quae eiusdem vniuerſalis reſtitutionis vias rationibus humanis ſcrutando (cuius rei occaſiones eadem ſuauiſſima DEI prouidentia nobis quoque obiecit) inueniſſe datum eſt, publico Eccleſiae DEI ſubmittere iudicio.

7. Quia ſiſtenda primario, vbi primario vigent, de rebus quibusque primariis, diſſidia.

21. *Cauſſa ſeptima* & poſtrema, cur haec de emendatione rerum conſilia vobis, o Chriſtiani, ante alios offerenda fuerunt, & quidem cum hac tam ſolemni, vt *OMNES* iſta videre, legere, cenſere dignemini, obteſtatione, *ſunt infelicisſima illa, quae vos prae aliis orbis gentibus miſere diuexant* (*etiam tum, & maxime, cum res veſtras emendare laboratis*) *DISSIDIA.* O Chriſtiani, populedilecte DEO, rixae veſtrae de *rebus philoſophicis, theologicis, politicis*, velut infinitae ac interminabiles, vos bona veſtra non intelligere oſtendunt. Opinionum, eheu, in quas ſcindimur, non eſt numerus! nec enaſcentium inde odiorum & confuſionum modus aut finis. Saeuimus alii in alios, in conſpectu infidelium truculentiſſime: vix tamen quoquam, cur ita fiat, animaduertente. Stupor tantum occupat omnes, & vertigo, ſi modo nondum inſenſati facti ſumus: remedii efficacis in omnibus hucusq; pertentatis nihil apparet. *Nec videtur quicquam ſupereſſe conſilii; quam vt relictis omnibus conſuetis viis* (quas inextricabilibus labyrinthis perſimiles, & ſine exitu eſſe, omnia oſtendunt) *a nouis fundamentis concordiam reſuſcitare tentemus.* Ad imitationem ſcilicet DEI ipſius, qui ſuas nobiſcum ſopiturus lites vna litura deleuit omnns culpas, condonauitque in Chriſto omnia: nihil exigens aliud a nobis, niſi *vt nouare nobis novale velimus, ſuperque ſpinas ſerere poſthac caueamus* (Ier. IV. 4.) *noua creatura facti* (Gal. VI. 15.) O viri eximii, multorum inter vos circa multa emendanda eximii conatus publice noti

ſunt;

Digitized by Google

sunt: sed & hoc notum plerosque, sine euidenti, aut certe diuturno, esse successu! causas intelligere si vultis, legite obsecro haec: deprehensuri, *partium studiis retardari commune bonum.* Nempe reformatis nonnulli scholas, alii ecclesias, alii politias: sed dum non simul reformatis caeteri, & caetera quae cohaerent (ante omnia vero seipsum quisque:) aut nihil magnopere procedit, aut fiunt rupturae nouae, nonnullibi prioribus maiores & periculosiores; relabunturque omnia semper in antiquum chaos. *Placeat igitur audire consilium nouum, obsecro!* placeatque experiri, num melius res processura sit, si sumantur omnia simul? & num facilius lites terminari patiantur, non de incertis litigando, sed certa & immota sequendo? subest aliquid spei: quia scindi iam quoque fatigamur, & vrgendo alii alios, adigendoque ad absurda, lacessimus: nec tamen alii alios vel expugnare, vel conuincere possumus. Restat prorsus cogitare; *forsitan non est voluntas DEI, nec via recta, dissidia tolli dissidendo; sed vnionem firmari vniendo, quaecunque possunt, & debent, id est OMNIA.* Omnia enim nostra dissident: & omnia tamen vnionis radicem in Adamo vtroque, bina illa generis humani stirpe, habent. Vt enim primi illius naturalis propago sumus omnes gentes, ita ad nouum factus est sermo DEI, *Parum est, vt mihi sis seruus ad suscitandas tribus Iacob: ecce dedi Te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terrae.* (Iesa. XLIX. 6.) Item: *Sicut per vnius delictum in omnes homines (reatus transit) ad condemnationem: ita per vnius iustitiam in omnes homines, in iustificationem vitae.* (Rom. V. 18.) Quicunque ergo nobiscum de Adamo participant peccatum & mortem, vt de Christo participare pariter nobiscum queant iustitiam & vitam, optandum, quantumque in nobis prouidendum est. *At vero Christum esse illum per quem patri complacuit reconciliari omnia, quae in terra, & quae in coelis sunt,* (Col. I. 20.) *quomodo infidelibus persuadebimus nos christiani, tot modis inter nosmet ipsos irreconciliati?*

22. DEO

22. *DEO igitur vindice dignus nodus est, plusquam gordius, quem hoc opere vobis, o christiani orbis proceres, aut soluendum arte, aut dissecandum mutuae charitatis gladio, offerimus. Infelices discordias vestras, ter sanctae beataequae concordiae commutandi: factoque per misericordiam DEI vniuersali inter vos consensu, LVCEM ET VERITATEM, PACEM ET QVIETEM, eoque veram quandam FELICITATEM, toti reliquo orbi, viis modisque patentibus, & in DEO potentibus, communicandi.* Summus propositi huius scopus.

23. Viae istae cuiusmodi sint, patebit sequenti opere: *in quo pro vniuersali rerum humanarum emendatione vota, consilia, monita exponimus nostra.* Idque taliter, vt ab illis nihil periculi vlli homini, aut genti, aut religioni, aut sectae, metuendum sit; siue res procedat, siue non. *Si procedit, mundum lucrati sumus; sin, nos tamen pro gloria DEI, & communi hominum salute, desideria nostra in conspectum DEI, & lucis huius, posuimus.* Quod ad minimum occasioni esse poterit, multa (hactenus forsan intacta) melius trutinandi: vnde zelus christianus sancta sua augmenta, multorumque salus promotionem immotam, reperire poterunt. Haec talia moliri, quanti res vsus.

24. *Quod si vires votis non sufficiant, quid tum?* DEVS ex voluntate facta aestimat; nec aliter prudentes rerum arbitri. *Prima sequentes*, inquit Cicero, *honestum est in secundis tertiisue consistere.* (Nam in praestantibus rebus magna sunt etiam illa, quae optimis proxima.) Si ne id quidem ad excusandum sufficit: damnare licet & contemnere vires nostras, vel etiam hoc enatum inde opus; non tamen certe *propositum, quod maius est & sanctius, quam vt iudicio cuiusquam hominis subiacere possit.* Omnium saluti consultum velle, charitas cogit, DEVS iubet, sanguinis communio flagitat; neminemque propriae salutis esse debere sitientiorem quam proximi, exemplo docuit dominus ipse, qui nos sic dilexit, vt semetipsum nobis impenderet totum. Omne igitur bonum sicut a solo DEO in nos demanat: ita a nobis in DEVM & proximos refundendum est: ne vlla in re sanctissimis eius in nobis operibus resistamus. Male cessit Ionae parere DEO, magnamq; vrbem Vires an huc sufficiant? Si non vires, voluntas certe: vsque adeo, vt humano iudicio non subiaceat.

Digitized by Google

Niniuen pœnitentiae admonere, recuſanti; non male Ieſaiae, ad conuertendum populum operam ſuam DEO offerenti.

Humano tamē iudicio, & cenſuris, omnia haec, (bonae cauſae fiducia) ſubmittuntur.

25. Ne tamen iudicium (humanum etiam) ſubterfugere videar, *redeo ad vos areopagitas meos, meque cum omnibus cogitatis & conſultis meis iudicio omnium veſtrum, viri excellentiſſimi, ſiſto. Si quid erraui, docete me, & ego tacebo: ſi quid ignoraui, inſtruite me,* (Iob. VI. 24.) Iudicandum me, cum tota hac cauſa ſubmitto iudicio veſtro confidenter: ſed ita, *vt cognoſcatis prius, deinde iudicetis.* Non vnus aliquis ſententiam praecipitans, ſed cenſura communi, & deliberato. Non enim vnum aliquem e vobis, nec paucos aliquot, nec multos etiam, tribunal mihi conſtituto, ſed omnes ſimul: nec plurimum exſpecto calculos, ſed omnium. Nempe *fiducia bona huius cauſae, quam coram DEO & vobis acturi ſumus, tanta nobis eſt: vt nos hic rigidiſſimo iuri ſubmittere nihil reformidemus; daturi operam, vt nihil hac fiducia noſtra, vobisque tanto theatro noſtro, indignum admittamus.* Nihil ſcilicet afferendo (in maioribus) cuius non ipſam rerum naturam, ipſumque rerum praeſidem DEVM, & denique vosmetipſos, iudices noſtros, habere queamus teſtes; proprios ſcilicet ſenſus veſtros, quibus cum palpanda dabuntur omnibus omnia, aſſenſum nobis negare poterit nemo, niſi qui velit ſibi ipſi.

N. B.

Iudicium hic areopago ſanctius requiritur.

26. *Omnes ergo vos iunctim, viri ſapientes, magnus mihi areopagus eritis, maiorque Athenienſi illo: vbi iudices erant certo numero, conuenire ſoliti tempore certo, ad cognoſcendum cauſſas capitales, in templo Martis.* At ego vos innumero numero admitto; iudicaturos non de alicuius capite, ſed de orbis ſalute; non ad aram fictitii numinis, ſed in conſpectu DEI veri & viui, Ieſu Chriſti; non bellorum & caedium, ſed pacis & vitae, praeſidis: qui vos ſuis inſtructos donis, vt praeſidere loco rebus humanis iuſſit. Iudicium itaque, cui me ſubmitto, illius erit: ſi vos tanquam illius cauſam egeritis, vigilanter, ſobrie, pie. Facite quaeſo, vt ne ſegniores reperiamini in hoc negotio vobis commiſſo, atque areopagitae illi in ſuo. *Areopagitarum conſeſſus perpetuus erat,* (inquit Scaliger lib. 2. de emend. temp.) nempe vt veritati & innocentiae perpetuum ne deeſſet aſylum.

Digitized by Google

lum. Veſter ergo ad hanc cognoſcendam cauſſam conſeſſus, & conſenſus, vnanimis quoque ſit & perpetuus ; donec ope veſtra, quid veri & boni ſublit, pateſcat omnibus. *Areopagytarum laudatur in iudicando ſeueritas ; & quod de capitalibus cauſis pronunciarent tanta integritate, vt noctu atque in tenebris, non interdiu neque luce, cauſas cognoſcerent : quo non dicentes, ſed ea quae dicerentur, ſpectarent. Quae cauſa fuit, vt iudicium illorum exquiſitiſſimum haberetur.* Facite idem : vtq; iudicium veſtrum incorruptum ſit, nullam reſpectate perſonam, ſed res ipſas attentius e verbis, tanquam per tenebras ad vos venientibus, excipite. Quo & fine nos haec velut ἀνονύμως exponimus ; vt perſonam, ſtatum, gentem, ſectam, reſpectari opus nihil ſit ; ſed res ipſa nuda tanto conſpectius mentis ſubeat oculos omnium veſtrum : vosque ad communem ſalutem hic per omnia collimari, nihilq; cuiquam omnium mortalium praeiudicari, aut videatis aut palpetis.

27. *Haec volui vt affectus veſtros, viri cordati, & excitarem & ſiſterem.* Excitarem, ad cauſam auidius cognoſcendum. Siſterem, ad ſententiam non ferendum niſi poſt cognitionem omnium, ex toto integre peractam. Percurſo opere toto, iudicare licebit de toto : quin & pronuntiare, prouti cuique auctum lumen (augebitur enim, polliceor) & inferuefactus ad zelum ſpiritus (quod & ipſum futurum ſpero) dictauerit. Graeci & Romani, ſapientiores caeteris gentes, ſoliti ſunt oratoribus ſuis, cauſſas forenſes agitantibus, tantum indulgere, vt quantumuis prolixe perorantem interpellare nemo auderet ; nec reſpondere, antequam orator dixiſſet, DIXI. Cur nobis, DEI & humani generis agentibus cauſſam, non aeque patientem accommodare libeat aurem ? quod ſi cui non libet, nos proteſtamur ſapientibus nos loqui, non ſtultis. *Stultum enim eſſe, & confuſione dignum, qui prius reſpondet quam audit,* ſapientiſſimus pronuntiat Salomo (Prou. XVIII. 13.) Ergo qui ſapis, alterius ſapientis audi conſilium: *prius quam audias, ne reſpondeas verbum, & in medio ſermonum ne adiicias loqui,* Sir. XI. 8.

Prooemii huius finis.

28. Haec autem ego non temere : ſed quia nos Europaeos infinitis philoſophicis, politicis, religioſisque opinionibus di-

Poſtulatum de ſeponendis praeiudiciis.

Digitized by Google

distractos, & parte quaque veritatem a se stare, alios deseruisse, persuasa, tantis consueuisse praeiudiciis abripi scio, vt si quis aliud quid (vel nudum erga se & sua examen, erga alios vero moderamen) suadeat, illico se tanquam aut *Libertinum*, aut *Scepticum*, aut *Insidiatorem*, suspectum reddat. Quod ne mihi, ab omnibus prauis intentionibus puro, eueniat, praemoneo. *Nihil quicquam, cuiquam, priuato quocunque respectu, toto hoc opere nostro dictum iri: sermonem fore de tota humanae societatis, illapsarumque tenebrarum, confusionum, errorum, massa.* Si quis ergo lucis, ordinis, veritatis, aliquid se habere putat, aut vere habet (haberi enim alicubi certum est: quia tenebras luci, confusiones ordini, erroresque veritati, vbique praeualuisse, nec permisit hactenus, nec permittet in aeternnm, aeterna DEI bonitas) is tacite in sinu gaudens, DEVMque laudans, alios rationabili nostro processu eodem promoueri ne inuideat: aut ad minimum talem hunc processum suspicione ne oneret, donec omnia prius, a fundamentis ad fastigia, cognouerit. *Iustum postulatum negari, nisi iniuste, non potest.*

Et non turbando proposito cum bona sua, & veritatem, ignorantibus mansuete agendi.

29. Et quia gentium doctor, *Paulus, se illis qui sub lege erant, quasi sub lege; illis vero qui sine lege, quasi sine lege; infirmisque infirmum, & omnibus omnia, factum esse fatetur, ideo vt lucrifaceret omnes* (1. Cor. IX. 19. &c. imitari cur pudeat? & imitari tentantem suspicionibus onerare, cur libeat? sapienter certe imitatus est *Augustinus*, tantus & ipse veritatis doctor: qui cum Fausto Manichaeo congressurus multis obtestationibus id egit, vt neutra pars de veritate iam possessa praesumeret, vtraque illam quasi adhuc dubiam quaerendi, inuentaeque & agnitae humiliter cedendi, animo accederet. Quo obtento, amicum hoc pro veritate concertamen ingressi sunt placide: Augustino post ita Faustum argumentis (leniſſime quidem, potenter tamen) vrgente, vt Faustus illachrimaret, veritatisque victas manus daret. Cur hoc non imitamur? cur Iudaeis, Mahumedanis, gentilibus, haereticis quibuscunque (seu vere talibus seu opinione, id quod ignis examinis veri ostendet) simili mansuetudine ac prudentia non obuiamus? cur aliquem hoc suadentem, aut tentantem, hostiliter inceſſimus? 30. Si

Digitized by Google

30. Si cui ideo haec, quod ab vno quopiam, & ex obſcuro, veniat, faſtidire allubeſcit, nae ille ſe moris DEI, pleraq; ſua per humiliora organa exſequentis, ignarum oſtendit. Legantur vero ſacrae hiſtoriae, videbitur ad dandas maximis etiam rebus occaſiones ſimpliciſſima quandoq; adhiberi media: & ad monendum aliquid, aut docendum, ſapientiſſimos etiam, ſimpliciſſimos quoque. Iethro Madianita fuit, & tamen Moſi, quotidianis alloquiis DEO ipſi familiari, conſilium vtile dare potuit. Potuit & puella captiua Naamani domino ſuo, viro principi, pulchrum ſuggerere conſilium. Potuerunt Mendici ad Samariam, iique leproſi, quiddam valde bonum regiae domui nuntiare. Potuit Paulus, ſpermologus licet habitus, ſapientibus Athenienſibus eximium quiddam narrare. Potuit Rhode puella Petri e vinculis liberationem apoſtolis, tametſi eam inſanire dicerent, nuntiare. Et cur alia memorem? *vaniſſimum eſt, & in DEI, opera ſua per quaecunq; vult media peragentis, ludibrium tendit, perſonas reſpectare, non res.* Et non reſpectando, quis loquatur, ſed quid.

31. *Sed prodit ſe hic*, inquiet aliquis, *propoſiti vanitas, aurei ſeculi ſomnium.* Reſpondebo. Eſſe qui ſub mundi finem Eccleſiae ſtatum meliorem, eoq; ſeculum pacatum, illuminatum, religioſum ſperent: & eſſe qui non niſi triſtia, ſemperq; prioribus peiora, (donec veniat qui mundo & calamitatibus impoſito fine, beatum ſuis inchoet aeternitatem) metuant, ſcio: hanc tamen diſſenſiunculam tantas mereri lites, vt conſiliorum de rerum emendatione coniunctionem impedire, nedũ tollere, debeant, pernego. Nam ſiue hoc ſiue illud verũ eſt, nobis tamen de emendatione cogitandum eſt. Si ſupereſt emendatum ſeculum, rationes eius ſcrutari nonprohibemur, adminiſtri ſic bonitatis DEI futuri. Si vero aduentus domini prae foribus eſt, viam parare domino tenemur: non tantum nos fideles Chriſtiani nos inuicem hortando & inflammando, ſed & mundum infidelium inclamando, illiq; reſipiſcentiae vias oſtendendo. Sicut praedicationibus ſuis perituris iamiam Antediluuianis fecit Noë, Sodomitis Loth, AEgyptiis Moſes & Aaron, Ieroſolymitanis prophetae & apoſtoli. Si non audiant illi, nos tamen liberauerimus animas Et non abiungendi conſilia praetextu chiliasmi.

Digitized by Google

noſtras,quemadmodum antiqui illi ſancti. *In ſumma,quoquo nos vertimus de emendatione cogitandum eſſe conuincimur. Vae illi qui obſiſtere audet DEO!*

Sequentis operis ratio.

32. Meminiſſe iuuabit: *nos, quia conſultationem ſcribimus, nonniſi conſultare per totum opus:* hoc eſt, quid nobis videatur proponere; & cur ſic ſtatuendo non errare videamur, demonſtrare: libertate vbique cuiuis hominum, & gentium, & ſectarum, integre relicta, aſſentiendi, vel non aſſentiendi. Si enim eodem modo videbitur, nec in contrarium quod rationabiliter afferri poſſit habebit, aſſentietur vtique, habebiturq; communis concluſio pro veritate indubia. Si cui aliter videbitur, nec deerunt firmiores in contrarium rationes; resque ipſa ad ſummum poterit demonſtrari euidentius, cedamus nos: & communis concluſio iterum pro euicta veritate erit. Si quid autem nec a nobis, nec ab aliis demonſtrari ſic poterit, vt contradici amplius non poſſit; ſeponemus inter illa, de quibus deliberandum adhuc eſt, & ſuper quibus (tolerantia tantiſper mutua) DEVS, vt quod reſtat reuelet atq; detegat, orandus erit. Et quia toto opere conſultamus: *libet vbiq; alloquiis potius quam ſoliloquiis; monitis quam praeceptis; hiſtorico ſuaui, quam philoſophico rigido ſtilo, vti.* Alloquar igitur omnes,vt vnusquisque audiat ſibi. *Vos eruditos alloquar,tanquam generis humani paedagogos,* conſilii ſcios, & in remediis quaerendis ſocios. *Vos Theologos, tanquam tranſitoriorum primarios contemptores, caeteris q; mortalibus ad immortalitatem duces. Vos reges, principes, magiſtratus, tanquam generis humani nutricios, ordinis q; boni ſolicitiſſimos aut reparatores, aut cuſtodes.*

Prudentiae hic obſeruandae leges.

1. *Nulli homini errores humanitatis exprobrandi.*

33. *Et quia conſultatio haec ſuſcipitur, tanquam cum omnibus orbis gentibus,* (de offerenda enim illa omnibus gentibus linguis ſuis, ſub operis finem id videbitur:) per varias de rebus, diuinis praeſertim, opiniones dilapſis, & ab inuicem abalienatis: proponimus caute ire, nulla cuiquam vitia exprobrando, errores nullos taxando, neminem directe aut oblique diſtringendo. Scimus enim neminem errare volentem (quo enim ſine id vellet?) ſcimus morbos lenius curari diaeta bona, quam remediis violentis: ſcimus cum tenebris, poſt illarum

Digitized by Google

rum lumen, lucta peculiari nihil esse opus: cedunt enim vltro. Et malumus imitari exemplum *Semi* ac *Iapheti*, pudenda patris (nos patrum & fratrum) obtegentis; quam *Chani*, turpia cupide spectantis, aliis ostentantis, irridentis. Illic enim benedictio consequitur, hic maledictionis subest metus. Certe nec *Paulus* ab exagitanda Athenienſium idololatria & πολυδαία, sed a collaudata religiosa diligentia, sermonem suum auspicatus est. Nec *Petrus* iudaeis, quod Christum malitiose crucifixisset (tametsi ita fuit) opprobrauit: excusabat potius quod ignorantes fecissent (Act III.17.) sicut & *Paulus* (c.XIII. 27.) *Christus ipse* cum legatos suos ad gentes mitteret, *docere iussit, non conuitiari*, (Matth.XVIII.) *Docere autem ducere est*, a re nota ad ignotam. *Et ducere sonat actionem blandam, non violentam, amabilem, non odiosam.* Nec enim quem ducere cupio impello, aut contrudo, aut prosterno, aut rapio sed manu prehensum leniter comitor: aut per viam apertam praeeundo, ad me sequendum allecto.

34. Et vero quia experientia docuit, *incassum alios aliis contradicere, incassum opinionum errores exprobrando rixari*; cautius agere incipiamus necesse est. Omnes dum optamus & quaerimus reconciliari, oppugnandi alicuius profecto tempus non est. Praestabit veritates colligi, & adunari, aberrationes vero aut leniter ad veritatis centrum reduci, aut saltem interim dissimulari, donec illas quoque ad commune veritatis centrum reducendi patescat via. *Sic prorsus existimamus: errores per ignorantiam ortos* (nec enim aliter oriuntur,) *tacita apertae veritatis luce dispellendos; & sectas, per contentiones natas, auctas; fixas, charitatis blando calore dissoluendas & refingendas esse*: quia aliter non possunt. *Tenebrae enim tenebras non pellunt; nec opinioni cedit opinio, nec secta sectae, nec odium odio: condensant se potius aduersum inuicem, & figunt*: quia eorundem quatenꝰ eadem, iidem semper sunt effectꝰ, contrariorū contrarii.

2. Nec violenter ipsi errores oppugnandi.

35. *Nos igitur homines non ad pugnas, sed ad contemplationem & collationem* (vt colligere diuinius esse quam dispergere persuasi, disunitos vndiq; vnire incipiant animos) *inuitaturi, merito exemplo praeimus: opereq; hoc nostro* (siue totum spectes, siue sin-

3. Veritas rerum lente ab imis radicibus vbique inceptando, commonstranda.

Digitized by Google

ſingulas eius partes) *operam damus, vt incipiamus inde, vbi nos diſſenſio nulla diuellit,* aut inuicem ſuſpectos reddit: progrediamur ſemper gradatim & lente, vitatis quae offendere poſſint: vt vel *Iudaeus, Turca, Paganus* (nedum nos *Chriſtiani*, opinionibus quibuscunque ab inuicem diſterminati) noſtra haec inoffenſe ordiri, inque illis progredi, poſſit: donec eo delatus quisque, vbi ſe lucis radiis circumfulgeri, veritatisq; cancellis circumcludi ſentiens, nec facile regredi, pudoris metu nec non progredi, maioris lucis ſpe, poſſit: tandemque in communem cum caeteris veritatem & harmoniam ſe redactam videns, exſultare in domino incipiat. Hoc inquam in gloriam DEI, lucis & veritatis aeterni praeſidis, aſſequi proponimus. Vtrum aſſequamur etiam, vos iudicate, & vt aſſequi tandem, tandem, tandem aliquomodo queamus, iuuate!

SYNOPSIS OPERIS CONSVLTATORII.

Conſultatio catholica habet:

- *Introitum:* in quo, quid proponamus exponitur: dicitur PANEGERSIA. h.e. *Excitatorium,* Lib.I.
- *Corpus ipſum:* proponens emendationis vniuerſalis.
  - *Fundamentum:* Lucem vniuerſalem: PANAVGIA, Lib.II.
  - *Tentamina particularia:* redigendi ſcil. in ordinem,
    - RES omnes, eatenus confuſiſſimas: PANSOPHIA, Lib.III.
    - MENTES omnes, eatenus implicatiſſimas: PAMPAEDIA, Lib.IV.
    - LINGVAS omnes, eatenus intricatiſſimas PANGLOTTIA, Lib.V.
  - *actū completum,* PANORTHOSIA, VI.
- *Clauſula,* continentem ad res tam deſideratas, & quarum tam clare detectas videmus vias, varie iteratos ſtimulos. Dicetur PANNVTHESIA, *Exhortatorium vniuerſale.* Lib.VII.

DE

DE

EMENDATIONE RERVM HVMANARVM,

CONSULTATIONIS CATHOLICAE

PANEGERSIA,

EXCITATORIVM VNIVERSALE.

In quo

Quid RES HVMANAE ſint, & quam corruptae, quamque de EMENDATIONE ſemper in coelo & terra conſultatum ſit, conſultandumq; nouo modo reſtet, explicato; ad ſuſcipiendum pro re tam communi communia conſilia OMNIVM HOMINVM ſit INVITATIO.

Digitized by Google

TABELLA SYNOPTICA.

Ad consultandum de generis humani salute *Excitato* quid? Cap. I. Estque trina

- *Sui ipsius* -- -- -- -- -- -- -- -- Cap. II.
- *Aliorum hominum.* Id autem
  - proponendo, quid & quantum sit quod suscipitur. III.
  - Exponendo plenius
    1. Quid res humanae sint. IV.
    2. Quam corruptae. V.
    3. Quanta corruptelarum turpitudo & noxa. VI.
    4. De Emendatione semper fuisse consultatum in coelo & in terra. VII.
    5. Nec cessandum esse. VIII.
    6. Tentandumque nunc denuo, sed viis nondum tentatis, prorsus catholicis. IX.
    7. Idque ad leges consultationis legitimae. X.
  - inuitando omnes ad consultandum. XI.
- *Dei miseratoris*, ardentibus suspiriis. XII.

Digitized by Google

CAPVT I.

Quid ſit quod agendum ſuſcipimus: & cur hic excitato ſenſu opus: & quomodo hic excitari conueniat.



INSTITVTVM noſtrum eſt, *impetrata a Deo gratia, oſtendere humano generi OMNE SVVM BONVM: & quomodo huius limites transgreſſi, euagati ſimus per inania modis infinitis, commonſtrare; redeundique tandem ad antiquam ſimplicitatem, tranquillitatem, felicitatem, indicare vias veras, planas, amoenas.* Suſcepti negotii ſcopus.

2. Negotium itaque aggredimur, quo maius ſub coelo non datur: concernens *omnes homines, & omnium hominum, & ob fines ac vſus omnimodos*, ad hanc & ad futuram vitam. Quae res cum tanta ſit,

2. Quantam rem aggredi cum non liceat, niſi excitato ſenſu, & impetrato humani generis conſenſu, exoratoque diuinae gratiae aſſenſu; eia incipiamus ante omnia *excitare, primum nosmet ipſos; deinde nobiscum omnes, quos poſſumus, alios; tandem DEVM ipſum, ad miſericordiam & opem.* Suſcipi non debet niſi excitato ſenſu, &c.

4. *Nos ipſos*, qui haec aliis offerimus, excitari oportet: quia excitare non poterimus alios; ſi dormitemus ipſi; & ne tantis de rebus ſomnia concipiamus, narremusque aliis. Excitandi cur ſimus, ipſi nos primum?

5. Alios inde excitare quaeremus: vt nos excitare iuuent miſericordiam DEI, inuigilareque nobiscum communi ſaluti. At *quos? & quomodo?* Cur alii?

6. *Exci-*

Digitized by Google

Excitari a somno cur soleant homines, causae tres. 1.2.

6. *Excitari solent homines, quos aut intempestiuus premit somnus*, cum negotia vrgenda sunt ; *aut si periculum ingruat ab hoste* , vel incendio orto, vel tempestate: *aut si sopor nimius sit valetudini noxius*, vel etiam letalis , vitaeque peremptorius, vti fit in lethargo, aliisque soporosis affectibus. *Atqui huiusmodi causſae hic conueniunt omnes*, nosque humanum genus a sopore suo, quibus vsque possumus modis, expergefacere cogunt.

Quarum simillimae in praesenti negotio obueniunt.

7. Nobilissima namque creatura DEI, HOMO, ob fines nobilissimos in mundum missa, potiore parte sui oblita, nihil minus quam id cur huc missa est, facit. Plerique caecutiunt prorsus, hebescuntque & bruteſcunt. *Ingrediuntur mundum, & nesciunt VNDE: viuunt in mundo & nesciunt QVARE. Exeunt mundo & nesciunt QVO. Nec , dum hic sunt , seriis se occupant : vitam putant rem ludicram.* Cogitant vana, aguut vana , gaudent vanis , inflantur spebus vanis , veluti somniis : perpetuoque ab vna vanitate ruunt in aliam , donec euanescant ipsi quoque. *Interim hostes , Satan & mors , circumeunt :* deuorare quaerentes , deuorantesque , alios post alios. *Interim nos vndique circumdant horrendae irae Dei tempestas : appropinquat denique incendium , quo conflagrabit mundus*, crapula mundana sepulti : perituri in aeternum , ni eripiantur adhuc. *Excitandi igitur vt eripiantur , qui possunt , omnes.*

Excitatio quibus modis fiat.

8. *At quomodo?* Expergefieri solent homines lenius dormientes *vocatione* aut *contrectatione*; profundius, *clamitatione*, *vellicatione*, *concussione*; profundissime (vt lethargici) *frictionibus* asperis , *punctionibus* , *vstionibus.* Imitabimur haec omnia. *Primumque alloquemur & prensabimus nos ipsos & alios , hac prima operis parte , hoc ipso excitatorio sermone. Mox concutere incipiemus omnes sensus demonstrationibus apertis , per omnia deductis , libris sequentibus quinque. Tandem & vremus caritatis igne , sub operis finem.*

Caput II.

Digitized by Google

CAPUT II.

Excitatio prima, ſui ipſius; DEO in intentionum puritatis teſtem, tantorumque auſorum opitulatorem, inuocato.

E Vigila mea mens, expergiſcere cor, ſoporem excutite ſenſus omnes mei! tum ne quid oſcitantius in rebus fiat, tum ne forte nocturnae cogitationes obrepant pro diurnis, & ſomnia ſeſe ingerant pro rebus.

2. *Quid enim agis, tu vermicule? quorſum te proripis? de orbis ſalute curas ſuſcipere tuumne eſt? quo moriture ruis, maioraque viribus audes? Cur te nihil profuturo maceras dolore? aut temeritatis notandus crimine riſum prouocas & cachinnos?*

3. TE NVMEN aeternum, a quo nihil omnium quae vsquam fiunt eſſe poteſt abſconditum, inuoco teſtem, anguſtatum fuiſſe multis retro annis varia trepidatione cor meum, & adhuc, quid his rebus, quas mihi occultis inſtinctibus, manifeſtisque vndique ſuggeſtionibus, maiori ſemper lucis acceſſione, inſtillari ſenſi, & ſentio, faciam: premamne iſta intra me an emittam? eloquar an ſileam? praeualet tamen interior illa tua vis, quae nolentem etiam rapit, trahit, trudit.

4. Ah non ſomnia eſſe, ſed realiſſimam rem, quod mortales admonitum venio, tu ipſe Deus Deorum teſtimonium dabis! operaturus potenter ea, quae nos votis concipere, viisque praeſignatis vt poſſibilia prehendere poſſe, dediſti.

5. Scis tu o Domine, creator omnium, miſerator autem eorum qui agnita ſua extra TE miſeria, refugium quaerunt apud TE miſericordiae fontem, quam infinitis quotidie cum ſuſpiriis, imo clamoribus coelos fatigantibus, ad TE confugiam, plenus terrorum, quibus me compleuerunt furores ſaeuientis aduerſus ſemetipſum mundi! plenus tamen ſimul ſolatiorum tuorum, quibus tu iam quoque impleuiſti animam meam, ſeruuli tui.

6. Et plenus caliginis, in quam me coniecit inſpectio abyſſi confuſionum humanarum: plenusque iam etiam lucis, qua me circumfulſiſti deſuper, oſtenſa regione lucis amoena, aeternante

Digitized by Google

in conſpectu tuo; tibi laus & benedictio ſit in ſecula ſeculorum, Amen.

7. Et mihi quidem, in quantum mihi, ſatis eſt Domine: quod ſub coelo anhelem amplius nihil eſt, niſi vt me transferas ad TE.

8. Sed angor eorum cauſſa, qui nondum participes facti ſunt lucis Tuae. Quibus o quam vellem, vitae etiam meae impendio, prodeſſe!

9. Triſtitia enim mihi eſt magna, & dolor continuus cordi meo, quod tam enormiter a Te, creatore ſuo, aberret creatura Tua.

10. Interitus pereuntium a Te horrore & dolore implet viſcera mea: qui tanquam ignis, incluſus oſſibus meis, depaſcit me.

Exod. XXXII. 32. 11. Ah quam vellem cum Moſe deleri de libro vitae, ſi modo permutatione hac impetrare queam populo meo, generi humano, miſericordiae gratiam!

Rom. IX. 3. 12. Quam optem cum Paulo fieri anathema a Chriſto pro fratribus meis, ex eoden ſanguine prognatis, habitantibus ſuper vniuerſam faciem terrae!

13. Scio Domine a neutro illorum acceptaſſe Te oblatam victimam, qui perfectiore victima, eaque vnica, redimi voluiſti totum genus noſtrum: nec tamen flammans ſeruorum tuorum caritatis ardor diſplicuit tibi.

14. Quippe Moyſi populum, iuſto rigore interitui deſtinatum propitius donaſti; Paulum vero ſpe rediturae ſuper totum Iſrael, ſuo tempore ſaluandum, gratiae, erexiſti.

15. Nunc ergo nobis ſeruis tuis, pro introitu plenitudinis gentium, & ſalutis Iſraelis, humillime tibi ſupplicantibus (multi enim iam ſumus Pauli tui) quid reſponſi dabis?

16. Repellesne a facie tua quaerentes faciem tuam? non id permittet miſericordia tua!

17. Solatus es Paulum, venturum eſſe tempus gratiae tuae, pleniſſimo fulgore omnibus gentibus, totique Iſrael, exoriturae: ſolari dignare nos, iam veniſſe illud a ſeculis deſideratum tempus.

18. Placebat tibi vtriusque illius in proximos, tametſi tortores ſuos, dilectio: o ne diſpliceat noſtrum pro ſalute illorum deſiderium, qui nos quoque pro nomine tuo oderunt, perſequuntur, occidunt: Nam certo ſcimus, eos neſcire quid faciant. Ideoq; Luc. XXIII. 34. cum filio tuo clamamus, *pater ignoſce illis, neſciunt enim quid faciant.*

19.

Digitized by Google

19. Ah Domine quam atrocia fiunt ſuper totum terrarum orbem, & iis quos tu imaginem tuam eſſe, aeternaeque tecum cohabitationi praeparari iuſſiſti.

20. Quod vident oculi tui, & auerſantur: vident angeli tui, & triſtantur: vident hoſtes tui, diaboli, & exſultant, quod omnia tendant in interitum: & tu haec toleras?

21. Vident & homines pii, quorum aperuiſti oculos, abominationes: ſed vident tantum, & gemunt, & anguntur, expertes conſilii, quomodo videre & horrere interitum ſuum faciant eos, qui intereunt: quia in tumultu omnes & omnia quum ſint, nemo neminem audit.

22. Sed etſi audiat hic & ille, non attendunt tamen, nec expendunt exitium ſuum, vertigine ſua rotati indefinenter.

23. An vero tu, data filiis hominum terra, te intra coelos coelorum tuorum occluſiſti, vt perplexitates noſtras ne reſpicias quidem? cur non voce maieſtatis perterres, & ab erroribus reuocas, miſeros mortales?

24. Cur non angelorum aliquem cum fulgore aliquo mittis, illuminaturum terram? & liberaturum e tenebrarum poteſtate, tam terra & multiplici caligine obſeſſos? Apoc.X.1. & XVIII.1.

25. Cur non a mortuis mittis aliquem, ad teſtandum his qui viuunt, ne ſic ruant, quomodo ruunt, in mortem? negatum id ſemel nouimus: nec profuturum tametſi Sodomam ad nos mittas, aut Aegyptum, vel euerſam Babylonem, aut Niniue, aut Ieruſalem, vel priorem illum diluuio deletum mundum &c. Ludibria enim interpretarentur, ne reſipiſcerent. Luc.XVI.27.

26. Ad Moſen & Prophetas audiendum amandas omnes, qui mortalem adhuc viuunt vitam: at hos quis audit? quis aeſtimat? quis nouit etiam? ibid. vſ.29.

27. Miſerere Domine, & oſtende porro etiam patentem aliquam viam inclamandi, & a lethargo ſuo expergefaciendi, oppreſſos ſecuritate ſua mortales?

28. Commoue denuo coelum & terram, ac mare & aridam, vt veniant gentes, & repleatur domus tua gloria! antequam veniat dies illa furoris, quae incendio ignis abſumet coelum & terram! Hagg.II.7.8.

29. Facies, quia promiſiſti. At quando? & quomodo? *conſilium tuum quis nouerit, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum tuum de altis ad corrigendum ſemitas eorum, qui ſunt in terra, vt quae tibi placent, edocti, ſapientia ſeruentur.* Sap.IX.17. 18.19.

30.

Digitized by Google

30. Domine Dominus noſter, videone, te monſtrante, turrim praecelſam, e qua vt e Pharo altiſſima, a profunda ſuper abyſſos erratione procellis mille iactatis, lamentabilibusque naufragiis pereuntibus, oſtendi poſſit ſecuriſſimi portus refugium? aſcendamne? Faces in tenebris accendamne? tubae clangorem eleuaborne? vt proſpiciant, ſi poſſunt, caeci? vt audiant, ſi poſſunt, ſurdi?

31. Reſponde propitius ſeruis tuis, miſerator noſter! nosne inſonat etiamnum vox tua olim ad ſeruum tuum prophetam emiſſa? *quaſi tuba exalta vocem tuam! ſuper montem altum aſcende, vocemque tuam potenter attolle!* Iesſ. LVIII. & XL. 9.

32. Audio vocem mandati Domine! verbum enim tuum eſt: & quidem aeternum, ſicuti tu ipſe aeternus es: qui ex aeternitate tua curſum ſeculorum proſpectans, ſimilibus ſimilia loqueris ſemper.

33. Parere audebo Domine: non me, aut mortalium vllo, ſed te vno, cuius agitur cauſſa, fretus dicam cum Moſe: *ſi nobiscum ibis ibo:* & cum apoſtolo, *ſi cooperaberis, operabor.* Exod. xxxiv. 9. 1. Cor. xv. 10.

34. Ego alioqui per meipſum puluis ſum, difflabit me mundus: ratiocinationes meae, aeque vt cuiusquam mortalium, timidae ſunt, elidet eas ſophiſticatio: zelum meum & ſuſpiria mea, lacrymasque meas, excipient improborum cachinni. Sap. ix. 14.

35. Eſto igitur tu mihi ſol & ſcutum, Iehoua Deus! gratiam da & gloriam! neq; cohibe bonum ab ambulantibus in integritate. Pſ. LXXXIV. 12. 13.

36. Domine virtutum, exerce virtutem tuam per imbecilla organa tua! & quae videre dediſti ſeruulo tuo da oſtendere poſſe multis, multi autem omnibus! vt accendatur feliciter ignis ille quem mittere decreuiſti in terram! Luc. XII. 49.

37. Non ignis furoris, vt hactenus, conſumens nos iuſtis iudiciis tuis: ſed ignis gratiae, illuminans nos, & reducens ad te.

38. Nam conſultare aggredimur de viis redeundi ad te! nos qui aberrauimus a te! a ſcopo tam ſancto permitteresne aberrare conſilia noſtra! prohibe, propter adorandum nomen tuum! conſilia potius noſtra dirige, & *conſilio tuo, quod ſolum ſtabit in aeternum, ſtabili!* Amen, Amen, Amen. Pſ. XXXIII. 11.

CAPUT

Digitized by Google

Caput III.

Ad consultandum de rerum humanarum emendatione cur inuitemur omnes: & an omnes conuocari huc possibile: quam denique facilis & amoena consultationis haec via futura sit.

AD vos me conuerto naturae humanae, & quibus ea premitur calamitatum, consortes. Mundi vndique in peius hucusque ruentis statum quaeso simul intueamur, simul horreamus, simul ob tot perpetuo redeuntes, imo continuas, terribiles rerum strages contabescamus: aut potius de ferenda, si vllo modo potest, ope consultemus!

2. *Iustum est quod petitur*, vt incipiente agitari causa quae concernit omnes, interesse libeat omnibus. Nam adeone quenquam sui esse oblitum, vt ei de seipso, rebusque suis, aut loqui, aut loquentes alios audire, volupe non sit? haud verisimile est. Quippe se & sua amare, & pro meliorandis rebus suis nihil non tentare, innatum est omni creaturae. De se, rebusque suis, consilia inire, vel audire, naturaliter hominibus gratum.

3. Quisquis igitur haec legere incipis, excita te: vt hic de te quoque deliberatum iri certus, aduertas aurem, mentem, linguam: tamque prompte aliorum de te cogitata excipias, quam libenter expromas tua: eoque ipso cum caeteris consulere incipias in commune. Omnes itaque huc veniant, quia id requirit,

4. Quicunque enim in humanam venimus societatem, societatis leges seruare tenemur. Nemo sibi soli, quisque toti societati vt bene sit, quaerat. *Insaniae sit species, malle sanari membrum, quam corpus totum.* (1) Communis societas.

5. *Communia bona*, quae nobis primum ostendemus, *commune sunt gaudium: communia ergo pericula*, quae mox spectabimus, *communes sint curae*, communes autem curae, ad commune consilium stimulus. (2) Communia pericula.

6. *Tum demum enim melius esse poterit omnibus, si omnes*, vbi & quomodo haereant res nostrae liquide perspecto, *iunctim adhibeamus*, (3) Communis demum feliciter impendendae operae spes.

Digitized by Google

amus, inuocato DEO, *manus*; ad liberandum nos, ope ipsius, ex tot infelicibus tricis nostris.

(4) Communis naturae maiestas.

7. Nemo igitur tam vilis & despectus videatur sibi ipsi, vt his ipsis de communi salute consultationibus interesse indignum se credat; nec tam superbe desperatus, vt consilia vel audire, aliena, vel addere sua, dedignetur.

(5) Communis omnium miserator DEVS.

8. Quam communis est DEVS, omnium nostrum miserator: quam communis miseriarum participatio, & enascentes inde scrupuli & angores: tam communis sit communium miseriarum commiseratio, & illas, si vlla parte datur, subleuandi studium.

Mundum in communia consilia conuocari an possibile?

9. Tanta certe sunt quae nos premunt, exitumque aliquem circumspectare cogunt: *vt merito in consilia haec mundus conuocari, DEVSq; de coelo vt opem ferat omnium hominum iunctis suspiriis ac gemitibus deuocari, debeat.*

(1) Per internuntias chartas.

10 Prius istud ex impossibilibus videatur, nec tamen est. *Licet enim conuenire non possimus corporibus* (nec opus est) *possumus animo*, charitatis internuntiis, & sole hoc, quotidie ab aliis ad alios per totum terrarum orbem transcurrente, occasionesque res vtiles agendi omnibus ex aequo subministrante.

(2) Per congregationes minores.

11. *Eia igitur, mortales, occasionibus nostris vtamur! & quod non datur coram, communicando tamen nobis inuicem expediamus*; vt linguae nobis vicem praestent calami. Atque tum nihil prohibebit, quo minus coram quoque agamus, per minores congregationes de his ipsis rebus ad inuicem verba faciendo, DEVM inuocando, manum denique admouendo.

(3) per concilia orbis.

12. Tandem forte dabit DEVS, vt in concilio aliquo Oecumenico congrediantur orbis capita, & de his sic in anteccssum praemissis in commune deliberent.

(Nunc initium fit scripto consultorio.)

13. *Nos ecce facimus initium!* de rebus his tam populariter dissertaturi, vt nullus non populus (aut aliqui certe ex omni populo) haec ipsa clare intelligere, ac de illis rationabiliter iudicare, valeant.

14. *Sequemur enim sapienter consultantium leges*: *QVID*, *PER QVID*, *ET QVOMODO*, *aliquid fieri necesse sit, plane exponendo: iudiciumque de omnibus & singulis hisce, hominum omnibus & singulis, liberum relinquendo.* Ita vera erit, pleniſſimaque & vtiliſſima, consultatio.

Consultoris boni partes,

15. Si namque tu amico, consilium de re quapiam exquirenti tuum, ostendas, *primum*, *quid* sibi pro scopo ea in re refigere, & quare isthuc collimare, debeat? *tum per quae media* ad istum suum

Digitized by Google

ſuum ſcopum certo venire poſſit? & cur media haec aliis, quae forte ſe offerant, praeferenda? *quomodo denique* datis mediis prudenter debeat vti, vt deſtinatus finis non obtineri non poſſit; & cur potius hoc, quam alio, agendum illi fuerit modo? haec inquam *tria ſi recte expedieris, omnes conſultoris boni partes expleueris, & de amico meritus fueris optime*: cui omnia iam erunt plana, nec reſtabit, niſi vt voto potiturus ſuo rem aggrediatur ipſam.

Conſultationis huius ſeries perpetua.

16. *Hoc idem nos planiſſime in noſtris conſultationibus imitabimur*, cum DEO: propoſituri *primum*, quid optandum putemus, & quare; *tum* per quam viam, non autem aliam, vota obtineri poſſe ſperemus: *tandem* quomodo datis mediis videatur vtendum, & quare ita?

Cur de rerum emendatione conſultationi rerum deſcriptio praemittatur.

17. *Verum enim vero quia de rebus ignotis, aut parum notis, iudicare nemo poteſt: aut ſi id praeſumit, temerarius eſt*, ſeque ipſum, & alios, & res ipſas, periculo inuoluit: *ante omnia dabimus operam, vt res de quibus diſſertaturi ſumus tam plane prius fiant, vt nemo non eas intelligat.* Quia de ignotis alicui rebus loqui, eſt ſurdo narrare fabulam.

Et quae hic attendenda lectoribus.

18. Tu igitur, quisquis es, memento *tibi in his conſultationibus ante omnia hoc vnum, vt ſeuſum recte percipias, eſſe viuendum. Tum vero demum tria haec expendenda* (1) *vtrum ſic pro communi ſalute vota recte figantur.* (2) *Vtrum media vera*, per quae obtineri vota certo poſſint, oſtendantur? (3) *verum denique media illa ſic, vti ſuadetur, recte adhibitum iri ſpes ſit*, an vero tibi videatur aliter?

I.
II.
III.

Quomodo in his quaerendus conſenſus.

19. Si omnia haec nobis deliberata eſſe recte, & ſuaderi ſic recte, agnoſcant omnes: aſſenſum vtique rebus his dabunt omnes. Et tum *felices nos tandem aliquando, in rebus tantis tum concordes!* Si vero quid melius aliis oſtendet DEVS, hic, illic, iſtic: cedemus nos, emendabunturque conſilia: atque *tum iterum felices nos!* Accurabitur autem quantum per nos licebit, vt ſcopus *nunquam ponatur alius, quam omnino omnibus deſiderabilis*: ad quem ſcilicet collimandum eſſe, ipſe communis naturae *inſtinctus* vnumquemque doceat. *Media vero ad finem tam poſſibilia, vt in manu noſtra illa eſſe, ſcipſo teſte quisque agnoſcat, ex facultatibus ſibi diuinitus conceſſis*, id ipſum certus. *Tandem*, mediis illis vtendis modos oſtendemus tales: quos eſſe veros & faciles ipſum rationis, ſeu *communium notitiarum lumen*, cuique dictabit. Ita nos omnia demonſtrando, proponemus tantum ſemper, aſſumemusque, concludemus autem nihil, niſi quod aeque videatur omnibus: aut hac ratione in conſenſum venturi aliquando vniuerſalem, aut certe vix aliam reſtare patebit viam.

1. 2.

3.

4.

Digitized by Google

Inuitatio.

20. *Adeſte igitur omnes ad quos penetrare poſſunt hae voces noſtrae!* & ad res tam communis deſiderii, tam certi vſus, tamque amoenae facilitatis (qualem hic promitti auditis, ipſaque mox ſemetipſum oſtentare incipiet) mentis afferte attentionem, alacritatem, fidem, qualem ad res tantas conuenit.

CAPUT IV.

Res humanae quid ſint? nempe ERVDITIO, RELIGIO, ET POLITIA.

De quaeſtionis ſenſu quare primo agendum?

ANte omnia, quid ſit illud, qnod RES HVMANAS vocamus, videndum: vt ne in ipſo limine, ſi alius hoc alius illud intelligat, diſſidere, hoc eſt non intelligere nos, incipiamus.

Humanarum rerum nomine multa veniunt.

2. *Multa quippe ſunt, & quaſi infinita, quibus in mundo circumdamur; & quae ſibi nos vendicant, aut nos ea nobis.* Quorum tamen quaedam *appendices tantum noſtri eſſe*, vt corporis vmbram; alia vero impedimenta magis, quam adiumenta, quae abeſſe ſalutis noſtrae foret (quae tamen incauti nos ſaepe, tanquam pars noſtri eſſent, reſpectando, & in deliciis habendo, decipimur) norunt ſapientes.

Proprie tamen quod ad ſublimitatem naturae ſpectat.

3. Exiſtimamus itaque, *res humanas proprie dicendas eſſe illas ſolum, ſed omnes, quae ad ſublimitatem naturae humanae ſpectant.* Caetera enim qnae cum brutis habemus communia, eo ipſo non propria noſtra ſunt, quia communia cum illis. Ergo bona licet, inferiora tamen bona; ſublimioribus noſtris ommnino ſubordinanda. Nempe illis per quae a brutis differimus, imo per quae ſuper bruta eleuamur, & ad ſublimitatem DEI attollimur.

Finis cuiuſque rei ex vltima ab aliis omnibus differentia cognoſcitur.

4. *Iudicium enim de qualibet re vltimum & diſtinctiſſimum ab ea tantum parte deſumi poteſt, qua illa ab aliis differt, non qua cum aliis conuenit.* Exemplo ſit *horologium ferreum*: quod ſi quis vnquam ſibi viſum inſpiciat, non inde finem & vſum eius examinabit, quod ſit ferreum: nam & ſecuris, & culter, & clauis &c. ferrea ſunt. Nec ſimpliciter quod rotulis conſtet; nam & molendina, & currus, & alia, rotis conſtant. Sed quod eo modo ſubordinati ſibi inuicem ſunt orbiculi, vt moto vno moueantur caetera: motuque

Digitized by Google

tuque illo temporis intervalla, maiora & minora, designent. Ex eo demum *temporis mensurandi esse instrumentum* concludet, quidq; eo pertineat essentialiter facile deprehendet.

Ita & hominis.

5. Similiter igitur, qui ex collatione hominis cum aliis creaturis finem eius, & ad finem media, deprehendere volet: non ea primario, quibus homo metallis & lapidibus, stirpibusue & brutis, similis est; (nempe quod generatur, crescit, nutritur, mouetur, sentit:) sed quibus illis omnibus praecellit, considerabit: demumque praerogatiuam eius in conspectu habere poterit.

Cuius praebrutis excellentia non in corpore, rebusque corporeis est.

6. *Praerogatiua igitur nostra prae brutis non in maiori aliqua corporis concinnitate, aut meliore pastu, deliciisue, consistit: sed animae praeeminentia.* Corporis quippe elegantia, agilitate, robore, viuacitate, ventrisque & sensuum oblectamentis. Animantes nonnullae hominem longe superant: homo autem etiam corpore monstroso, tardo, debili, valetudinario, moribundo, commodis deniq; & deliciis corporeis omnibus destitutus, homo esse non desinit.

sed in animae.

7. *Sed animae ineſt*, quod nulli alii visibili creaturae, *imago viuentis DEI: quae intellectu rerum, seu ratione, constat; & arbitrio rerum, seu voluntate; exsequutoria denique in rei potestate, seu facultatibus operatiuis, ad quiduis se se extendentibus.* Quicquid enim est, intellectui humano subiicitur: & quicquid bonum est, electioni eius subordinatur: & quicquid possibile est, facultatibus eius subproportionatur.

Argumento sunt.

(8) Ita id esse, quis non in seipso experitur? quis non in aliis animaduertit? quantum ad rationis vim, omnis certe homo, natura scire desiderat. *Et quidem scire quam plurima; imo si posset, omnia. Et denique scire vere, ne fallatur.* Deceptionem siquidem intellectus sui, quantum potest, praecauet; nec errat, nisi inscius & inuitus. Atque si errare se suspicatur, aut ab aliis erroris insimulatur, aegre ubi esse sentit. *Tam conscius sibi est humanus animus, ignorantiam & errorem sublimitati naturae suae non conuenire.* Intellectus itaque noster, naturae instinctu, rerum notitiam & veritatem ambit.

(1) Intellectus, veritatis indagator perpetuus.

9. *Voluntas vero ad quid nobis data est? quid quaerit? bonum. Bene enim sibi esse optat omnis homo*: male habere, dolere, angi, trepidat, & qua potest refugit. Contra autem quicquid bonum est, & vlla parte blande afficere potest, suum esse optat; subtrahi sibi aliquid aegerrime permittit. Et quidem *optat vera bona, fucatis deludi inuitam interpretatur. Et optat sine fine esse bene; ideoque mortem & interi-*

(2) Voluntas boni venatrix perpetua.

Digitized by Google

teritum horret, infinitum quiddam anhelans. Ita varia bona, vera bona, sine fine duratura bona, humanae voluntatis proprium sunt obiectum.

(3) Facultates operum exsequutrices perpetuae.

10. *Potestas denique in res, eamque exsequendi voluptas, quanta nobis insit, opera humana, magna, mira, perpetua, testantur. Mundum etenim artificiosis inuentis nostris impleuimus, nos creatoris nostri aemuli vermiculi:* nec adhuc finis est, praesertim in viuidioribus naturis, tantum non nouos orbes semper machinantibus. *Prorsus torpere, non conuenire sibi credit humana industria.* Ideoque semper aliud ex alio struit; nec finem reperit, hic etiam infinitae cuiusdam delectationis irretita illecebris. *Ita res praesentes regere, nouas sibi ad placitum fingere ac refingere; verbo, rebus potenter dominari, humanae naturae insatiabile studium est.*

Tria igitur hominem constituunt. Intellectus voluntas, Resque agendi Facultates.

11. Putamus ergo consentiendum nobis hic ante omnia esse omnibus: *sublimitatis humanae RADICES esse tria illa, animo humano propria; intellectum, res vestigantem; & voluntatem, rerum bona venantem: impetum denique in opera, facultatibus vndique armatum & normatum.* Videamus autem, *quinam ex hisce radicibus surgant RAMI, qui proueniant FRVCTVS?*

E quibus tribus prouenit *Philosophia, Religio & Politia.*

12. *Ex auiditate veri prouenit PHILOSOPHIA;* quae est sapientiae studium; *Ex desiderio boni, nascitur RELIGIO;* quae est summi boni cultus fruitioque. *Ex cupiditate res ad arbitrium potenter disponendi, vltimo conatu prouenit POLITIA;* quae est hominum, perpetuo varia machinantium, in ordinem talem, quo se in operibus suis non impediant, sed adiuuent, reductio.

Tria haec sunt totius humanae vitae ἔργα.

13. *Tria haec (Philosophiam, Religionem, Politiam) esse tria summa hominum ἔργα, reliqua omnia prae his duntaxat πάρεργα, satis ostendi posse spero; vt dubitari opus non sit quenquam.*

(1) Quia in his tribus imago Dei consistit.

14. *Primum* enim constat, hominem visibilium creaturarum primariam esse ideo, *quia ad imaginem DEI conditus.* Similis ergo DEO, virtutumque eius viuum quoddam simulacrum. *Quis autem nescit eminentes in DEO virtutes celebrari tres? Poenitentiam,* qua condidit & conseruat omnia: & *sapientiam,* qua scit, videt, prouidet, gubernat, omnia: & *bonitatem,* qua sanctus est in seipso, iustitiamque & misericordiam exercet erga opera sua omnia. *Harum ergo virtutum characteres viuos imagini DEI viui esse impressos, necesse est: atque si sunt, exstare quoque.* Nempe vt quemadmodum DEVS omnia videt, scit, intelligit: ita imago DEI homo, in speculo intellectus sui rerum circumferens imagines, tam vnde veniant, quam quo & qua

Digitized by Google

qua tendant omnia, perſpiciat. Et ſicut DEVS bonus & ſanctus eſt, purusque ab iniquitate omni: ita imago eius, homo, bonitatis diuinae exiſtens aemulus, ſeque ipſum vndique ſeruans purum, vt virtutes annuntiet eius, quem inter creaturas viſibiles repraeſentat viſibiliter. Denique ſicut DEVS potentia ſua ad beneplacitum ſuum regit omnia: ita homo iis, quae ſub ſe habet, dominari ſciat potenter: aliter imago DEI dici nullatenus meretur.

15. *Eadem tria inuenies, ſi omnia illa, cum quibus homini commercium eſt, aut eſſe poteſt, conſideres. Quae illa omnia? omnia quae infra ſe, circa ſe, ſupra ſe, habet. Infra ſe* habet creaturas viſibiles omnes, quippe ſublimior factus omnibus. *Circa ſe* homines, eiusdem dignitatis ſocios. *Supra ſe* DEVM, creatorem omnium. *Cum inferioribus creaturis quale eſt homini commercium? dominii & vſus:* vt omnia ſibi ſeruire cogat. Quod fieri, niſi omnium & ſingulorum fines ad quos ſunt; & rationes per quas ſunt; & modos quibus domari, & ad obſequium adigi poſſunt, intelligat, non poteſt. *Hic ergo ſapientia opus,* & quae ſapientiam venatur *Philoſophia. Cum coaequalibus ſibi hominibus quale eſt homini commercium? ſocietatis*; vt cum omnibus hominibus rationabiliter, placide, iuſte, conuerſari ſciat; conſilii, auxilii, ſolatii mutui cauſa. *Hic ergo politia opus. Cum ſuperiore illo, DEO creatore, quid homini (vtpote creaturae) commercii eſſe poteſt? ſubiectionis, reuerentiae, fiduciaeque intimae*: vt illi perpetuo iunctus, ſuauiter bonitate eius perfrui queat, hic, & in aeternum. *Ad quod religione opus.*

(2) Quia omnia, cum quibus homini hic verſandum ad tria illa referuntur.

16. *Et annon homini a primo ſtatim ortu haec tria demandata fuiſſe videmus?* creatus enim pater noſter, Adam, iuſſus eſt creaturas ſpeculari, nomina ſingulis indere, dominarique: *quod philoſophandi initium fuit.* Mox illi additum de latere adiutorium, Eua, cum mandato multiplicandi ſeſe, donec implerent terram: *vbi humana ſocietas fundata eſt*; Tandem datum de abſtinendo certo fructu mandatum, vt dependere ſe ſciret a DEO: *quod religionis eſt fundamentum.*

(3) Quod oſtenſum fuit homini ſtatim in paradiſo.

17. *Et hactenus certum eſſe putamus, nullam ſub coelo reperiri gentem, ciuitatem, domum: nullam quoque repertam mundi aetatem, vbi non ſapientiae, politiae, religionis aliquod viaere ſit ſtudium:* tenue ſane nonnullibi, & confuſum valde, non tamen ideo nullum. *Quid hic cogitandum? niſi ſentire humanum animum ad illa ſe naſci, in illis excellentiam ſuam fundari, ideoque illis occupari debere?*

(4) Et videre eſt hactenus in omnibus gentibus.

18. Iam

Digitized by Google

(5) Et in animo cuiusque hominis,

18. Iam si animos hominum sigillatim detur inspicere (potest certe suum quisque) tres hi diuinitatis characteres, *velle scire*, *velle dominari*, *velle beatitate frui aeterna*, indelebiliter naturae humanae impressos esse patebit. *Monstrum hominis sit oportet, aut truncus, non homo: qui nescire malit, quam scire; & seruiat libentius, quam imperet: & religionem potius colat nullam, quam aliquam; h. e. fauore numinis & beatitudine perpetua carere velit, quam frui.* Nam tametsi quandoque monstra eiusmodi reperiuntur, poenam tamen suam mox secum trahunt; dum tanquam abortiui & degeneres odio habentur, tum aliis, tum sibi ipsis tandem.

(6) Imo in ipsis quoque qui hic deficiunt.

19. Quin & illi omnes, quos seu nascendi sorte, seu educationis defectu, nihil didicisse, seruos & mancipia factos esse, nullaque virtute vera ornari, contingit, quid inseparabiliter humanae naturae conueniat testimonio sunt, dum eos sui pudet: *ignorare enim, seruire, vitiis foedari, apud DEVM vel homines male audire, omnis humana natura erubescit.* Ideoque insciti am suam, imbecillitatem suam, vitia sua, occultat si potest; si non potest, excusat; culpam a se in alios, aut infelicem suam sortem, transferens. Si ne hoc quidem datur, quibuscunque (etiam falsis) coloribus excusare, quam aperte aliquid a sublimitate naturae humanae alienum agnoscere, mauult.

(7) Multo magis vero in iis qui hic excellunt.

20. *Quia autem prae aliis paulo plus de eruditione, potentia, religione, participant, bone DEVS, quam sibi eo nomine placent!* quam sibi non tantum dii videntur! tam blande afficit humanam naturam, *pollere potentia, pollere sapientia, pollere sanctitate*; (seu vere, seu falso: mauult enim circa haec errare potius humanus animus, quam diuinitatis illos in se abnegare characteres:) vt aequiparari voluptas alia nulla possit.

(8) Praesertim generosioribus naturis.

21. *Quibus vero generosior obtigit spiritus, vt plus caeteris de humana participent natura: tam auide hi potentiae, illi scientiae, alii sanctitati inhiant, vt modum finemque reperire haud possint.* Quod exemplis infinitorum, pro adipiscenda potentia, eruditione, sanctitate, nullis curis, impensis, laboribus, vigiliis, vitae ipsi, parcentium (mortes enim etiam, pro libertate vel gloria, pro religione, imo & pro scientia, sese emaciando, & vitam illuc impendendo, alacriter subire non trepidant) satis constat.

(9) Et in aemulationibus circa haec tria aeternis.

22. *Accedit, quod super iisdem tribus humanae naturae eminentiis, tantae sint in genere humano aemulationes, quantas in rebus aliis videre nusquam est.* Quis enim pro rebus quas cum brutis habemus communes

Digitized by Google

munes, (vita, forma, cibo, potu, voluptatibus &c.) integras concurrere nationes vidit? at aemulationum *de imperio, de ſcientia, de religione*; plenus eſt mundus. Vtri aliis praeeſſe debeant, vtri melius res intelligant, vtri gratius DEO ſeruiant, ab exordio rerum humanarum concertationes fuerunt inter ſocietates politicas, philoſophicas, religioſas: nec aliter hucusque videmus. Ecquid hic obſecro cogitandum nobis relinquitur, quam *radices ſibi aeternas in nobis poſuiſſe, potentiam magnam, ſapientiam ſummam, bonitatem aeternam?* vitio quidem noſtro tam periculoſe politias, philoſophias, religionesque collidi, certum eſt: ipſae tamen perpetuae illae, coërceri tam impotentes colliſiones, quo nos coeleſtis impetus trahat ac rapiat, attendere; tamque delicata illa & dilecta noſtra bona, *Dominium, religionem, ſenſusque proprios*, vere, & per excellentiam noſtra eſſe; concludere nos cogunt.

Tres hae arbores humanae vitae quos ferant fructus.

23. *Ita vidimus eximo animae noſtrae pullulare tres illas veluti arbores magnas: ſub quarum vmbra totum humanum genus apricatur, philoſophiam, religionem, politiam.* Videamus iam, quos *fructus* arbores hae parturiant? Nempe:

24. *Vt diuerſae arbores ſunt, ſic ad diuerſos ferendos fructus deſtinatae*: omnes tamen bonos, ſuaues, ſalubres, vitae humanae, prorſus neceſſarios, ſi in ſua ſpectentur idea. *Nam philoſophia mentis lumen quaerit, ſapientiam*: cuius beneficio inter omnia, quae vsquam occurrere poſſunt, oculati incedamus. *Politia ſocietatis humanae concordiam intendit*: vt quotquot habitamus in vuum, benigne ac placide habitemus; nullo alii alios afficientes damno, omnes auxilio & ſolatio mutuo. *Religio denique Numinis fauorem ambit*: ſatagitque deuincire homines DEO, & DEVM hominibus, aeterno foedere, pro impetranda interna, conſcientiarum pace, participandaque (poſt decurſum vitae huius) aeterna cum DEO beatitudine,

Philoſophia *ſapientiam*;

Politia *pacem*;

Religio *numinis fauorem.*

25. *Ita haec eſſe, trinoque illo ſtudio trinos illos vſus quaeri, non puto eſſe qui ambigere poſſit: res enim nimis aperta eſt.* Nec igitur ambigat id, quod rerum humanarum nomine potiſſimum indigitari dignum ſit, conſiderandumque nobis in tota hac conſultatione maxime veniat, *eruditionem, religionem, politiam eſſe: vtpote quae omni homini, ſemper & vbique, ita conueniunt, vt ſeparari nequeant, niſi ex homine facere velis non hominem. Et ad quae tria, omnia hominum reliqua ita referenda ſunt, vt partes minores ſolent ad maiores: illisque ſubordinanda ſic, vt media ſolent finibus ſuis.*

Concluditur haec ergo tria vere eſſe hominibus τὸ πᾶν.

Digitized by Google

Postulatum; si quis aliud quid ostendere potest, vt ostendat.

26. *Iam vero inter nos, quid RES HVMANAE sint constabit; nempe: SAPIENTIA mentis, PIETAS cordis, & TRANQVILLITAS vitae: quaeque has quaerunt, tuentur, propagant, PHILOSOPHIA, RELIGIO, POLITIA.* Si cui aliter videtur, resque humanas aliter, accuratiusue, definire aut disterminare nouit, ostendat in commune bonum.

CAPUT V.

Res humanas esse corruptas, & quae corruptelarum occasiones?

Emendatio supponit corruptionem.

Emendari non solet, nisi quod corruptum est. Dum igitur nos de rerum humanarum emendatione consultandum suademus, eo ipso corruptas esse praesupponimus. Quae res forte operosa demonstratione non egeat: quum nihil loco suo esse, vbique a recti tramite declinari, (hinc ad dextram inde ad sinistram) publicae sint querelae. Vident enim qui aliquid vident, *sapientiae* loco regnare vel *ignorantiam*, vel *sophisticem*: *religionis* loco vel *atheismum*, vel *superstitionem*: *politiae* loco vel *ἀναρχίαν* & confusionem, vel *tyrannidem* & oppressionem. Quia tamen nos omnia vestigare a radice prima decreuimus: eia videamus ante omnia, *quid hoc sit, aut dicatur, corruptum esse.*

Corruptio quid?

2. *Corruptum dicitur, quod sic a seipso mutatum est, vt ideae suae non amplius conforme, nec fini suo idoneum sit.* Rerum autem nostrarum fines quinam sunt?

Mundi status, in idea sua consideratus, qualis esse debuit?

3. *Ex intentione DEI mundus hic*, in quem nascendo immittimur, *schola DEI plena lucis; & templum DEI plenum deuotionis; regnumq; DEI plenum ordinis & iustitiae, esse debuit. Et quidem schola vna*; quia vnum habemus omnes magistrum, similiaque sub illo exercitia. *Templum vnum*; quia vnum habemus DEVM qui omnes nos condidit, extra quem non est alius DEVS. *Regnum vnum;* vnus enim populus sumus omnes, vna procreati stirpe, habentes vna eademque iura & statuta cordibus nostris similiter inscripta, nemine excepto.

Et quales nos in illo?

4. *Haec si recte obseruarentur ab omnibus*, fieret necessario, vt omnes sub sapientissimi magisterio ac disciplina euaderemus docti & sapientes; sub optimi & sanctissimi informatione ac ductu, boni & sancti; sub iustissimi moderatione ac regimine, iusti ac prudentes

Digitized by Google

tes: eoque pacem haberemus cum rebus, & hominibus, ac DEO.

5. Quia enim mens nostra in omnia fertur, vt cognitione omnium sese oblectet; delectuque facto eorum quae sibi maxime profutura videt, iucunde iis perfruatur: hinc *finis cognitionis rerum est, pax mentis cum rebus.* Et quia homo circumdari se aliis hominibus videt, quorum quisque sua quoque agit, suis intentus commodis; vtque ne turbetur ab illis, vel etiam eos turbet ipse, cauendum existimat: eo ipso in omni conuersatione prudentia certa vtitur, quam politiam vocant. *Politiae itaque proprius finis est pax animorum inter homines.* At vero cum rerum & hominum omnium suam quoque a supremo numine dependentiam esse animaduertit; ne supremus ille vlla ratione laesus nobis irascatur, nosque puniat, potius benedicat, religionis studio sibi fauorem eius conciliandum existimat. *Religionis igitur finis proprius est, pax conscientiae cum DEO.* Philosophiae, politiae, religionisq; finis, PAX.

6. *Ad quam normam si intellectus nostri notitias, voluntatis instinctus, facultatumque vires, tanquam sublimitatis nostrae radices:* (de quib. Cap. IV. §. 7. ad 11.) *indeque sapientiam, religionem, politiamque illam nostram, tanquam arbores & ramos;* (de quib. ibid. §. 12. ad 23.) *tum denique fructus, qui emergere hinc debebant,* (de quibus ibid. §. 24.) *contulerimus, nemo non corruptionem multifariam agnoscere necesse habebit.* Quem si requiramus in nobis deesse patebit.

7. *Intellectus certe plerorumque hominum pro notitiis tenebras habet: voluntas pro instinctu ad bonum, stimulos ad malum: facultates ipsae in hominum plurimis languent & torpent, eosque inutilia terrae pondera esse faciunt.* Id si quis non videt, neget se vidisse vllos in mundo stultos, impios, otiosos. Quod si dixerit, sine oculis & mente se in mundo versari ostendet, numerumque ineptorum augebit. Corrupta igitur omnia sunt in nobis.

8. *Nimis etiam notorie permulti mente, ingenio, sensibus, torpent:* ignorantiaeque suae tenebras scientiae loco amant. *Asellorum, omnia nescientium, plenus est mundus:* quanquam nec desint in contrarium exorbitantes, *nimium curiosi,* omnia scire (etiam quae nihil opus) auidi: vt se noctesque diesque affligant, macerent, exhauriant, conficiant, enecent, hepiolis persimiles, flammas tam auide aduolantibus vt se comburant. Cum ergo res pleraeque humano ingenio non subdantur, quid mirum, si cum iisdem pax mentium non insequitur? si indoctorum mentes tenebris obsideantur densissimis, vt quo se vertant, dum serii aliquid cogitandum est, 1. Operatio intellectus corrupta.

Digitized by Google

eſt, neſciant. Quid mirum ſi & docti ipſi obſtacula inueniant infinita, quae penetrare non datur, nodosque quos ſoluere humana neſcit induſtria? vnde ſe angant, inquietent, ſcrupulisque vrgeantur, & alios vrgeant, infinitis? vi tandem doctiſſimorum etiam ſapientia in dubitationem deſinat, *an quidquam ſciri poſſit*? nimirum, non nos res tenemus, ſed illae nos conſtrictos tenent.

2. Voluntatis actiones corruptae.

9. *Voluntatis corruptelas, deprauatiſſimasque cupiditates, quis non videt? pudet me generis humani*, inquit Seneca, & cur pudeat explicat, epiſt. 77. Nempe *quod proprium ſuum bonum, quo bruta antecellit, DEOque ſimilitudine aequatur, rationem & virtutem, ſecure negligit; & bona tantum inferiora, cum brutis communia, ſectatur; bonoque apparenti, tranſitoria duntaxat voluptate titillanti, tam ſolida, vera, aeternum duratura bona, poſthabet.* Et mirum ſit, hominibus inter ſeipſos & cum aliis haud conuenire? perpetuaque *bella, caedes, rixas*, omnium cum omnibus; cogitationumque, voluntatum, ſermonum, manuum, colliſiones vbique gliſcere? *tota prorſus terra, omnesque humanae ſocietates, maiores & minores, nihil ſunt, niſi concertationum palaeſtea quaedam. Vnde nec cum DEO pace tranquilla frui datur*: accuſante vnumquemque ad tribunal DEI propria conſcientia, DEOque iram ſuam effundente ſuper iniquitates noſtras iudiciis ſuis, quae exercet.

3. Corruptela ſtudiorum & moliminum.

10. *Studia hominum ſolennia, quibus inſudat totus mundus, qualia ſunt? opum, honorum, voluptatum conſectatio.* In his tribus hominum vulgo felicitatis baſin figi, ad haec vndique in mundo collimari, quis eſt qui non videat? *at iſta omnia quid ſunt? opes ſolicitudo certa: honores, fumus euanidus: voluptates, dulce venenum, malorum omnium illecebra.* Nempe ſi ſic, vti vulgo fit, a rebus melioribus ſeparatim, intentioneque primaria, quaerantur. Nam ſi quis priora verioraque bona, *ſapientiam, prudentiam, pietatem*, primario quaerat; poſteriora haec, *honorem, opes, voluptates*, tam certo habebit additamento, quam corpus in luce poſitum vmbram ſolet: fierentque illa, antidoto iſta comitata, innoxia, ſuauiusque etiam afficerent. Quod dum homines non intelligunt, *vmbras ſine re captant, vanitatibusque ſuis dediti vaneſcunt ipſi quoque: h.e. a rerum legitimo vſu, & rerum fonte DEO, & a ſeipſis tandem, aberrant.*

Peruerſi hominum conatus.

11. Summa, *quaerunt homines ſe extra ſe, res ſupra ſe, DEVM infra ſe. Se extra ſe*, dum non norunt theſauros DEI in ſe, diuitiasque, ſcientiam, & voluptates, quaerunt extra ſe: cum intra ſe tamen poſſideant plura, quam mundus habet vniuerſus. *Res ſupra*

Digitized by Google

pra se: submittendo & mancipando se rebus quibus dominari debebant. *DEVM infra se*: quaerentes & fingentes DEVM, non a quo ipsi, sed qui ab ipsis, dependeat; h. e. non cuius voluntatem faciant ipsi, sed quem habeant ad nutum sibi, ministrum affectuum suorum. Qui scilicet, quicquid illi temere fingunt, iubeat esse verum; & quicquid temere ambiunt, iubeat esse bonum; & quicquid temere occeptant, iubeat habere successum. Annon haec euidentissima corruptionis rerum humanarum sunt argumenta? quae corruptio proculdubio exinde orta est, quod res istas lacteramus, factiones fouemus, genuinaque media (eruditionem, religionem, politiam in alios transplantandi) non adhibemus.

Aeternae trigae infelix diuortium.

12. *Cogita quaeso: annon tria illa* (potentia, scientia, religio,) *quae coniuncta esse in quolibet homine debebant*, quippe quae iunctim DEI imaginem absoluunt, hominemque perficiunt) *infelix diuortium plerumque faciunt*? Potentes nimirum raro sapientiam curant, raro religionem. Sapientes vero, ah quam multi, sapere volunt sine DEO! quam multi viuunt sine rationabili regimine sui, nedum aliorum! religiosi denique multi ita se religiosis suis exercitiis dedunt; vt nec rerum cognitioni hauriendae, neque aliis hominibus ad bonam mentem instituendis, aut in virtutum via dirigendis, vacare velint. Quae autem haec monstra, *velle posse, velle scire, velle bene velle*; & tamen *nescire velle, noscire posse, nescire scire*?

Quisque pro se grex rursum intra se dissidet

13. *Monstrosum & hoc: quod eminentiam qui in vna trium istorum serio persequendo operam ponunt, conuenire tamen nullo hactenus modo possunt ideoque in sectas philosophicas, politicas, religiosas, scindimur. Philosophorum scholas*, singularumque diuersa & contraria de rebus placita & opiniones, quis enumeret? quot capita, tot sententiae. *Politici ue in fundamento quidem regiminis* (monarchicene societates humanas gubernari praestet, an aristocratice, vel democratice) *consentire hucusque potuerunt. Religiosarum controuersiarum chaos, sine horrore quis intueri potest?* vbi ne de DEO quidem religionis obiecto, satis conuenit. Et cum religiosarum sectarum quatuor per orbem primariae sint, *iudaica, christiana, mahomedana, gentilisque seu pagana*; quaelibet illarum in minores sectas plures scinditur. *Nulla tamen aeque sibi etiam ipsi dissidet, ac illa quae lumine maxime gaudet (gloriatur certe) christiana; vt sit caeteris scandolo, sibi autem ipsi (ne se explicare valeat) vehementissimo abstaculo.*

Digitized by Google

Veritatis nemo vsquam satis certus possessor.

14. *In tanto dissensionum & contradictionum tumultu quis veritatem, num illa vsquam, aut penes quos tandem, reperiatur, videat? omnes enim eam* (in philosophicis aeque ac politicis & religiosis controuersiis) *iactant: interim tamen nemo sic, vt ab aliis quoque videri & palpari possit, demonstrat.* Si enim quisquam demonstraret, controuertendi finis esset. Nempe quia veritatem quaerimus omnes, inuentam certo, & demonstratam clare, respueret nemo. Quia id impressa nobis (imagini suae) veritas DEI non sinit, vt intellectus quod vere verum, & voluntas quod vere bonum, agnoscit, respuere possit. Cum intellectus deceptus etiam, speciem veri; & voluntas decepta quoque, speciem boni, tam ardenter prosequatur; vt saepe mori malit quam ab illo, quod pro vero aut bono habet, diuelli. Haec est primaria hominum, in erroribus & vitiis etiam, obstinationis causa. *Quam ergo reuerentiam errantes errori, veritatis larua tecto & peccantes malo, specie boni fucato, habent, quidni eandem potius vero vero, & vero bono haberent, si vere agnoscerent?* Cur igitur desunt, qui vera & bona quibus gaudent ipsi (si gaudent) tam potenter aliis commonstrent, vt non videre, non affici, non conuinci, non trahi ac rapi, non possint? *signum scientis est posse docere. Signum ergo nescientis, non posse sic docere, vt perdoceas. Aut ergo veritas in tanto opinionum tumultu nemini adhuc patet satis, aut eam nondum quisquam habet luce armatam satis, cui resisti nequeat.* Quicquid eius sit, defectum hic patimur horrendum.

Sapientia si qua est, libris incarceratur.

15. Tandem vero, per quae media eruditionem alii in alios transplantamus? Olim sapientia pectoribus gestabatur, nunc chartis includi coepta est. Vnde fit: vt libris bibliothecisque incarcerata raro in hominum cogitatis, dictis aut factis, reperiatur. Cuius incommodi vel ipsa librorum multitudo & varietas in causa est. Plures enim sunt, quam vt relegendae vel milesimae eorum parti cuiusquam mortalis vita sufficiat: magis aurem varii, quam vt vllum tam firmum cerebrum, quod non in vertiginem agi necesse habeat, reperiri sit. Strues itaque librorum aut spectaculo sunt magis, quam vsui, & sic vanitas proditur; aut confusioni certe, si quis per omnia volutare se animum obfirmat, & sic noxa patescit. Inde enim indocte doctorum, aut docte delirantium, agmina. Et sic libro docti sunt, non nos: aut certe si nos quoque docti, confuse docti: aut si explicate docti, coacte tamen docti; non ad rerum naturam, sed ad aliena, quibus nos expleuimus, de rebus testimonia & dictamina.

16. *Sed*

Digitized by Google

Sapientes si qui sunt, sapientiae studiis abutuntur.

16. *Sed & qui veram eruditionem colligere proponunt, raro sibi scopum legitimum* (qui est veritatis per omnia vestigatio propter meliorum delectum, & dehinc aliis veriorum & meliorum commonstrationem, ad subseruiendum sic DEO, luminum patri) *proponunt: saepius quiduis aliud transitorium.* Discunt multi vt discant, h. e. curiosi ingenii pruritum expleant. Discunt alii vt diteścant, h. e. ex re diuinissima aucupium rei vanissimae constituant, auaritiae. Alii denique vt intumescant, h. e. vanae suae ambitioni inseruiant. Patet id, quod nimis auare eruditi, alii prae aliis, ingenii aut eruditionis famam captent; ideoque alii alios carpunt, castigant, oppugnant, damnant, sibique inuicem tam impotenter insultant, vt imperitae plebi spectaculo, contemptui, derisui, aut certe scandalo, simus. *Ignis ergo quidam fatuus videatur ingeniorum illa lux, qua gloriamur.*

Linguae, societatis humanae vinculū quam diruptum.

17. Ad eruditionem pertinet linguarum, tanquam mentium interpretum, *scientia.* Non enim hominem, sed homines, voluit esse in mundo DEVS. Nec eos habitare dispersos, ferarum ritu, sed collectos in societates: non mutas illas & brutas, sed vocales ac rationales; vt alii alios, de DEO & religione, rebusque aliis bonis, informarent. Ideoque societatis addidit vinculum, linguam. At nobis, *primo; maximae societatis nostrae, seu maximi collegii, quod est genus humanum per orbem expansum, vnum commune prorsus deest vinculum. Linguam enim communem, quo cum quibusuis orbis incolis colloquamur, habemus nullam:* ideoque commercium hominum cum hominibus vniuersale nullum. Iam itaque defectum patimur ingentem: dum nos vix aliquot hominum manipuli, intra vnam aliquam Prouinciam, aut regnum (magnum aut paruum quid interest?) habitantes, intelligimus: cum reliquis tam numerosis gentibus vix nobis tantum commercii, quantum eius bruta inter se habent, esse potest. Id autem vnde? ab initio certe non fuit sic. *Dum enim vnus esset homo (ab vno autem progeniti sumus omnes) linguanon vna esse non potuit. Corruptio itaque accessit, quae nos diuisit*, societatemque humanam valde disturbauit, & hactenus impedit ac turbat. *De singulis linguarum, quam confusae, imperfectae, obscurae, barbarae sint omnes, (nulla prorsus excepta) dicere hic integrum non est:* apparebit suo loco nullam earum sufficere amplitudini rerum; nullam tamen vnquam, ne sic quidem mutilam, a quoquam vno solo, quantumuis docto, totam intellectam, vel etiam-

Digitized by Google

etiamnum intelligi, aut teneri. Et quis ergo hic oſtentationi locus? imperfectio potius, & multiplex corruptela, deploranda.

Opera eruditorum imperfectionis arguit.

18. Tandem eruditionis partem conſtituunt *Opera docta, quibus nos rerum naturas intelligere, & actiua paſſiuis applicare poſſe, oſtendimus*: quemadmodum in quibusdam *Mathematicorum*, *Mechanicorum*, & quandoque *Medicorum*, admirandis effectis videre eſt. Sed omnia illa quae iam ſcimus, prae illis quae adhuc profunde ignoramus, quantilla ſint patere poterit (ſpero) operis noſtri progreſſu. *Hoc certe conſtat: opifices Mechanicas artes ſuas melius excoluiſſe, ad maioremque deduxiſſe perfectionem, quam Philoſophos, Politicos, Theologos, ſuas.* Illi enim quod promittunt praeſtant, ſpecimina-que artium ſuarum ſemper in manu habent: horum artes non procedere (tenebras nempe a mentibus humanis non pelli, neque impietates a cordibus, neque confuſiones a rebuspublicis) in euidenti eſt: quicquid ſibi hi, illi, iſti, artibus ſuis, veritate in vita, placent.

Religionis corruptae argumenta.

19. Iam ſi religionis ſeorſim conſideremus negotium, & quomodo a plerisque tractetur attendamus, horrendae pateſcet corruptionis abyſſus: quam paululum detegamus.

1. Atheismus.

20. *DEVM eſſe, communis notitia eſt*, tam profunde inſculpta cordibus omnium hominum, vt Cicero dicat: qui *DEVM neget, vix eum ſanae mentis poſſe exiſtimari:* Hebraeorumque ſanctus rex & vates, *dicere in corde ſuo, non eſt DEVS, neminem poſſe, niſi ſtultum*, ſcribat. Vnde igitur tanta illa ſtultorum noſtro aeuo agmina? vt iam in apertum prorumpere, nec in corde amplius, ſed ore & alamo blaſphemo, ſtultas voces, *non eſt DEVS*, ſonare incipiant? corruptio manifeſta, ſtupenda, deteſtanda, *inualeſcens atheiſmus.*

2. Epicureismus.

21. Credit tamen potior mundi pars eſſe DEVM, omnia vbiq; continentem: credere enim ſe id dicunt. *Et vnde igitur eſt, quod paucisſimi ſanctiſſimos eius reuerentur oculos?* plerique (praeſertim in latebris, vbi ſe ſine teſte eſſe putant) ac ſi nullus vsquam eſſet vindex oculus, ita viuunt. Corruptionis tremendae argumentum euidens, *vbique regnans actionum profanitas.*

4. Idololatria.

22. *Tertio, DEVM eſſe omnium rerum primum*, a quo, per quem, & propter quem, omnia caetera ſunt, ideoque vnum: (primum enim niſi vnum eſſe nulla ratio permittit) communis etiam notitia eſt. *Et vnde igitur tot deaſtri?* tot *idola*? tot *ficta numina*? Corruptionis certae argumentum certum, *late ſerpens, maxime vero in occulto, idolomania.*

Digitized by Google

23. *Eſt*

23. *Est & haec notitia cuiuis humano cordi inscripta, DEVM esse mentem, seu spiritum, spiritu & mente colendum.* Et vnde igitur, quod pleraeque religiones externorum rituum apparatu cultum DEI metiuntur? aeternaeque menti rebus sine mente agitatis (vt olim *Cain*) placere confidunt? *manifestum, pro religione religionis larvam coli.* 4. Cainismus.

24. *Tum & hoc, sentimus omnes animas nobis dari immortales*: & tamen ea ipsa vnde pendet aeternitas, tam negligenter curantur, vt plerisque cum DEO, aeternitatis praeside, nihil sit negotii. *Quid hoc nisi corruptissimi status cordis nostri indicium est?* eoque magis, quod homo alias natura sua totus in futurum fertur: quemadmodum ostendit innata illi futura quaecunque praesciendi cupido, maior quam sciendi praeterita. Haec enim narrantem nemo miratur: futura praenunciantes numine afflari credimus, & tantum non adoramus. Tum & illa cuiuis innata in futurum sibi prouidendi solertia. Eccur igitur in illa, quae maxime futura sunt, postrema, aeterna, minus ferimur? *corruptio certa*, dicente apud Mosen DEO: *o si saperent, & nouissima sua prouiderent!* 5. Aeternitatis incuria.

25. Si eos in specie, qui *religioni praesunt, aut religionis* (*quam infectae diuisi diuise sequimur*) *auctores fuerunt, consideramus; corruptio patescit non vna. Primum* enim docere aliquid nemo potest, nisi rei illius intime gnarus. Religionem igitur, h. e. animae cum DEO commercium, nemo idoneus est docere, nisi cui DEVS familiariter, per intimam cum illo coniunctionem, & colloquia, aut inspirationem, notus. An vero tales illi omnes, qui tam diuersas religiones introduxerunt, etiam atque etiam videndum erat, ne deciperemur. (Suspicio enim vehemens subest, ab vno DEO tam diuerso, imo contraria, venire non potuisse.) Nos autem quid? secure dormimus. Nemo fere, quid hic verius & melius sit, dispicit, omnes antecedentium gregem sequimur, vt reuera consuetudo pro religione sit. 6. Deceptionum interuenientium securitas.

26. *Deinde, modum propagandi sui quaelibet res habet naturae suae congruentem: quidni & religio?* nempe faber docet fabrilem artem fabricando, pictor pingendo, cantor cantando; &c. Et doctrina ipsa propagatur docendo, imperium imperando: quidni igitur & *religio religiose agendo? cur ergo passim in rerum diuinarum doctores se ingerunt, quos nihil diuinum commendat? homines seculo immersi, coeleste nihil sperantes, plus caeteris profani?* corruptio certa, nam si medicorum nemo morbos praeceptis curat; Theologia vero animarum 7. Religionis irreligiosa cura.

Digitized by Google

marum medicina eſt: cur quaeſo Theologi praeceptis tantum (de rebus ſcilicet diuinis concionando, aut pietatem duntaxat aliis praecipiendo) expedire quaerunt omnia? cur non in terris coeleſtem, caeteris in exemplum, viuunt vitam? corruptio manifeſta.

8. Religionis, diuiniſſimae rei, non diuina defenſatio.

27. *Tandem, quia religio res inter humanas maxime diuina eſt, eius propagandae modus non niſi diuinus eſſe poteſt, quali vtitur ipſe, in quem religio dirigitur, DEVS.* Quid autem ille? inuitat omnes, cogit neminem, tolerat omnes, perdit neminem, iudicium ſeruans iudicio futuro. Odia itaque noſtra, quibus alii aduerſus alios religionis cauſa inardeſcimus, atrociaque illa pro religione bella, quid niſi apertam corruptionem teſtantur? quid enim religioni cum armis? Habet ſane illa quoq; ſua arma, quibus ſe aduerſus hoſtes ſuos defendit, ſed ſpiritualia; ſicut & ipſa ſpiritualis eſt tota; & DEVS, cum quo hic res eſt, ſpirituum puriſſimus, ſpirituumque pater.

Politiae corruptae argumenta.

1. Regimen ſui neglectum.

28. *Politicum videamus ſtatum!* cuius baſis ſui ipſius regimen eſt: *quia nihil regit, niſi rectum: nec alios vnquam regere poterit, niſi qui ſimul, imo ante alia, ſeipſum.* Et vero quia DEVS hominem ad eam euexit dignitatem, vt omnes inferiores illi ſubiiceret creaturas, tandemque hunc addit tantae dignitatis apicem, vt ipſe quoq; homo, rector & arbiter omnium, ſui eſſet iuris; nec alterius, ſed proprio regeretur arbitrio: *certum eſt, totius boni ordinis circa hominem, totiusque humanae felicitatis cardinem in eo verſari, ſi quis aliis regendis deſtinatur, ante omnia ſeipſum ſapienter regere velit, poſſit, ſciat:* & perditionis, ſi ſeipſum regere nolit, non poſſit, neſciat. Ideoque DEVS, vt homo ſeipſum regere velit, poſſit, ſciat, prouidere non intermiſit. Nempe, *vt velit, indidit illi libertatis amorem.* (Cuius quidem libertatis in aliis quoque creaturis rudimenta videre eſt. Equus enim excutit ſeſſorem: bos deiicit iugum: auicula caueam, & in ea paſtum, deſerit: non alio fine, niſi vt ſui iuris ſit. In homine tamen libertatis deſiderium prorſus impotens eſt. Vt multi mori malint quam ſeruire, h. e. alieno arbitrio, non ſuo, agi.) *Vt autem poſſit ſeipſum regere homo, addidit illi DEVS conſiliarios perpetuos,* ſemper adſtantes, ſemper rebus intentos, ſemper de agendis & actis commonefacientes; *rationem & conſcientiam. Vt denique ſciret etiam, poſuit ob oculos creaturarum, leges ſuas* (naturae inſtinctu) *obſeruantium*, eoque ſe in ſuo eſſe conſeruantium, *infinita exempla*: quarum rationabili intuitu rerum vias addiſcere, inque ſeipſo ſapienter ad fines ſuos dirigendo exercere ſeſe, poſſet. (Sed & nouas leges, monitaque varia verbo ſuo adiecit: de quo alias.)

29. *Ats*

Digitized by Google

29. *Ars itaque artium est, hominem, omnium rectorem, regere posse; etiam cum ad seipsum, solum vnum, artem hanc refert homo, nedum ad plures eiusdem eminentiae consortes.* Cuius partis si obseruaremus diuinas, rebus insculptas, cordi inscriptas, auresque circumsonantes, regulas: in omni humana societate ordo, tranquillitas, pax, conspicua essent: quia praeessent, qui praesunt, libere; ordinis, tranquillitatis, pacisque amore. 2. Politiae finis pax, & tranquillitas, sunt:

30. *Quomodo autem obseruamus, dissidia, rixas, bella, per omnes domos, vicos, vrbes, regna, loquuntur: nec aliis testibus, quam auribus & oculis, querelisque & eiulatibus, omnia personantibus, opus est.* Ecce enim! potestates ordinatae sunt diuinitus, communi & cum subditis reciproco bono: nempe vt magistratus subditis, & subditi magistratibus, seruiant. Quid est igitur, quod hi istis, & isti his, tam saepe graves, molesti, intolerabiles, mutuoque exitio sunt? Subditi, cum humeris suis potestates suas placide gestare deberent, vt corpus caput suum supra se, saepe deiiciunt & proculcant. Hi rursum deiici non patientes, aut recuperatis per vim habenis, frena fortius adducunt, stimulosque & calcaria, & flagella, & fustes, & gladios, adigunt. Atque sic violentiis implentur omnia. 3. Quarum loco nihil nobis nisi turbae.

31. Videamus horum causas. *Nesciunt homines regere, nesciunt regi. Nesciunt regere alios, nesciunt seipsos. Nesciunt regi ab aliis, nesciunt a seipsis.* Primum enim plerique hominum sublimitatis suae immemores animo tam seruili sunt, vt se intra vilissimas quasque res, ventrem, gulam, caeterasque nugas, abiiciant: ab illisque se regi, duci, trahi, huc illuc raptari, patiantur: indigni, qui homines (rerum scilicet dominio destinata creatura) audiant. Perinde ac stolidus & impius nauta, qui mari tempestatibus aestuante clauum abiiciens, se, & quos vehit, certo vitae periculo exponit. Tam quidem stolidos nautas in nauibus ligneis non reperias forte; sed in naui corporis & animae regenda plerique mortalium sic prorsus delirant, *Causae turbati vbique status.* 1. Regentium supinitas.

32. Sunt rursum, qui non contenti se & sua regere, ad alios regendum (h. e. *pro lubitu versandum*) *impotenter festinant: & vt dominari modo liceat, alios oppugnare, expugnare, subiugare, proculcare, volupe sibi ducunt.* Plerumque enim qui aliis praesunt, cur praesint, non attendunt. Putant mundum sua causa esse, hominibusque vt brutis, ad quicquid complacuit, abutuntur: dumque reluctantiam reperiunt (intransformabilis enim est humana natura, concreata sibi libertate sua in totum exui, coactumque aliquid velle, non 2. Regentium ferocia.

Digitized by Google

poteſt) ſub obſequium ſibi tamen redigendi modos quaerunt. At quos modos? violentos, *flagra, fuſtes, compedes, carceres, funes, gladios &c. Hocne autem ordinis eſt? hac rationabilem creaturam duci oportuit?*

3. Regentium inepritudo, inſcitia, ignauia.

33. *Corruptio igitur certa, quod paſſim regendis hominibus adhibentur, qui regere non poſſunt, neſciunt, nolunt. Non poſſunt*; imbelles, effoeminati, auctoritate non inſtructi. *Neſciunt*; inertes, artium regiminis ignari. *Nolunt*; ignaui, delicati, circa alia curioſuli, iisque occupati. Atque ſic, *quia nihil regit, niſi rectum; nihilque recte, niſi ad regulam*; nihil denique firmiter, niſi ad regulam immotam: pleraque mundi regna male habere neceſſe eſt. Quia qui regunt alios, non regunt ſeipſos: nec regunt ad regulas, detorquent illas quoque ad placitum; & (vt vocant) ad rationem ſtatus. Ita omnia plena ſunt aut *Sardanapalorum*, non regimini, ſed deliciis, vacantium: aut *Nimrodorum*, ſine lege regnantium: aut denique *Machiavelliſtarum*, legum vim aſtutiis eludentium, & ſic ad leges pictas dominantium.

Corruptelarū euidentia.

34. *Nihil igitur in rebus humanis integrum eſt: quia ſtatus mentis, religionis, politiae, per totum genus humanum corruptus eſt.* Viuunt plerique hominum (alicubi etiam integrae gentes) DEI ignari, ſui obliti, humanitatis neſcii, veluti pecora campi, belluinam prorſus vitam. Et non eſſe illa, per quae maxime HOMINES ſumus, confuſa & corrupta, defendat aliquis?

CAPUT VI.

Corruptelarum humanarum turpitudo & noxa.

Corruptelarū noſtrarum turpitudo oſtenditur.

VT ad peruidendum confuſionum illarum chaos vix ſatis oculorum habemus, ita ad deplorandum earundem turpitudinem & noxas vix ſatis lacrymarum. *Hinc ſapientibus omnia humana diſplicent: quia omnia vana, ſtolida, impia, violenta, ad interitum tendentia.*

Vniuerſim.

2. Dum enim non haec agimus, quorum gratia hic ſumus, ſed alia nihil ad ſcopum pertinentia: annon *rani* ſumus? Dum vero contraria ſcopo agimus (ea nimirum per quae nobis, & humanae ſocietati, non poteſt non male eſſe) annon *ſtolidi?* Et dum bonitatis fontem quibusuis viliſſimis rebus poſthabemus, imo aperte

Digitized by Google

aperte contemnimus, irritamus, blasphemamus (quod plerique, eheu, faciunt!) annon *impii* sumus? denique dum alii alios mille modis affligimus, diuexamus, perdimus, annon *violenti* sumus?

Per species.

3. *Sed videamus istas vanitates, stoliditates, impietates, violentiasque nostras, quam turpes & noxiae sint, propius: per omnes illos & singulos deprauatae eminentiae nostrae* (hoc est, eruditionis, religionis, politiae) *status.*

1. In *statu eruditionis.*

4. *Statum mentis*, plerisque mortalium rebus bonis vacuae, *si consideramus: annon quaeso turpe est, tam lucidum rerum speculum, ad similitudinem omniscii DEI factum, omnes nos circumferre:* in quo tamen vt plurimum aut nihil resplendeat, aut nihil praeter tricas & quisquilias: de rebus magnis, pulchris, spiritualibus, aeternis, prorsus nihil? quis haec sine lacrymis recogitet? *nec scire, nec attendere, nec quaerere, quis sis? vnde veneris? quo tandem tendant omnia tua? turpissima turpitudo, belluinusque prorsus stupor est.*

1. Mentis speculum plerisque nihil exhibet.

2. Aut nihil praeter vmbras.

5. Quid autem quod qui aliquid sciunt, aut sibi scire videntur, de quauis etiam eruditionis particella, aut vmbra, adeo sibi placent, vt alios contemnant? progredi tamen ad scientiae maiorem aut veriorem lucem negligunt? *lucidam nobis creator dedit mentem: ah cur vmbris potius delectamur quam luce?*

3. Oculis propriis nemo propemodum vtitur.

6. *Turpe & hoc: quod cum creator quemlibet proprio sensu, aliisque veritatem rerum scrutandi adminiculis, instruxit; homines tamen plerumque oculos claudere, & coecorum in morem ab aliis absque ratione duci, quam libere per res obambulare, malunt.* Tota enim vulgaris eruditio (per omnes propemodum sectas) seruile quid est: vt quae non contemplatione rerum, qualiter in se sunt: sed traditione de rebus aliena, constat. Millibus e multis non facile reperias, vnum, qui propriae mentis oculis vlus, quomodo DEVS mundum gubernet, aut qua vi res fiant, aut sint, aut conseruentur, aut pereant, aut rursum reparentur, & quorsum omnia ista tendant, attendat. *Vnde fit, vt scientia plerorumque, etiam qui sibi Salomones videntur, opinio sit, non scientia.*

4. Ex tamen in tenebris furiose dimicant.

7. Quem tamen defectum si agnosceremus, & nos intra modestiae contineremus terminos, ferri posset. *Sed dum opinionibus vt vento inflamur, alii aduersus alios insolescimus, interque nos tantas excitamus tragoedias, vt vix vsquam crebriora & acriora certamina, atque inter eruditos, videre sit; id quo loco habendum?* Non iniucundum forsan fuerit *Andabatarum* (clausis oculis dimicantium) *spectare pugnas*, si ioco fiant: si serio, stultitiae indicium euidentissimum; si ad exi-

Digitized by Google

tum vsque, furoris. *At quid nisi Andabatarum greges sumus nos miseri: qui pro scientia tam inscite, pro religione tam irreligiose, pro rerum dominio tam seruiliter, depugnamus?*

5. Seque ipsum quisque idolis pro rebus ludificat,

8. *Indignum est humanae naturae, falsi aliquid fouere:* h. e. *spectris, non rebus, diuinam intellectus officinam replere.* Indignum igitur, nos ita opinionibus diffidere, & plerosque in templo mentis, pro formosis formosae veritatis imaginibus, monstrosa errorum idola circumferre, quod plerique mortalium faciunt. Quia enim veritas vbique vna & simplex est, *verum plus vno esse non potest.* Quotquot igitur de vlla re diuersae fuerint, nedum contrariae sententiae: omnes praeter vnam (si tamen vna etiam!) falsas esse necesse est. *O beatos, quibus vera videre datur! miseros quibus deludi contigit!* Ignorare enim verum suum cum rebus, & cum DEO, statum circumduci autem hominum aut daemonum astu confictis fabellis, quid nisi turpissima turpitudo est?

6. Neque si quid vsquam DEVS, lux aeterna, luminis veri spargit, colligere laboramus.

9. Tandem si nos hoc loco (vbi de rerum cognitione agitur) omnes iunctim consideremus: annon quaeso turpe est, nos *nos inuicem, bonaque & mala nostra, adeo ignorare*? Nos quidem Europaei, peregrinationibus & nauigationibus adsueti, plus de caeteris cognouimus, quam de nobis illi. Nec nos tamen omnia, aut saltem ea, eoque fine, quae & quo fine debuimus. Scimus enim nusquam deesse DEVM; suaque aliter & aliter per populos, & gentes, & linguas, & aetates, spargere dona; vt si nobis conferre omnia in vnum curae esset, possent, quam plena est omnis terra gloria eius, tam plena esse omnia corda luce eius. Nos tamen coniungere scintillas nostras, faculasue nostras, quam secure negleximus hactenus!

II. In *statu politico.*

1. Rixae de regimine perpetuae,

10. Videamus vero iam *quam indecorae, & genere nostro indignae, sint illae quas in conuersatione mutua*, h. e. *politia nostra, admittimus enormitates*! Lupi, vrsi, tygrides, dracones, aliaeque saeuae bestiae, concorditer cum aliis sui generis viuunt: impuros canes si excipias, quibus solis subinde rixae. Nos rationalis creatura, eheu, quam vbique discordes! Illis si quando duce opus, eum sequuntur quem sibi eligunt, vt grues: aut quem sibi nasci vident, vt apes: aliae regimen non affectant. Nos igitur brutis brutiores; qui omnis passim ad regimen proruendo aut rursum regimen omne declinando, rerum ordinem vbiq; turbamus: nosque difficultatibus inplicamus infinitis.

2. Inuasiones mutuae violentae.

11. *Animalium species, quaeque suum seruant elementum, aues aërem, pisces aquam, serpentes terram, ferae siluas, pecora campos, &c. pro ordine*

Digitized by Google

ordine sibi diuinitus assignato. Atqui humano quoque generi idem omnium DEVS orbem terrarum assignauit, regionesque alias aliis attributas ab inuicem eo modo disterminauit, vt quaeque gens, familia, domus, persona, sub constituto loco placide suo seruiat creatori. *Quae igitur haec rabies est, quod vbique in nos inuicem inuolamus? vt non montes, non fluuii, non lacus, non maria, non hemisphaeria ipsa tutos nos ab inuicem praestare queant?* Incurrimus enim alii in alios vel ex altero orbe: vt spoliemus, dissipemus, perdamus, eiusdem naturae consortes.

12. Inprimis enim turpis est illa, quae infeliciter in consuetudinem iam abiit, bellandi voluptas. De qua recte magnus quidam vir: *Saepe admirari soleo,* inquit, *quae res homines huc vesaniae adigat, vt tantis studiis, tantis sumptibus, tantis periculis in mutuam perniciem ruant. Quid enim aliud in omni vita, quam belligeramur? Non belligerantur quaelibet bruta, sed ferae duntaxat: nec hae autem inter se dimicant, sed cum diuersi generis belluis. Et suis armis pugnant; non vti nos, arte diabolica excogitatis machinis. Nec rursum quibuslibet de causis, sed aut pro foetu, aut pro cibo: nostra vero bella plerumque vel ab ambitione, vel ab iracundia, vel a libidine, similiue animi morbo, proficiscuntur. Denique non tot millibus conglobatis, sicut iam nos, in mutuum instruuntur exitium.* 1. Bella mundum vastantia.

III. In *statu religionis.*

13. *Iam turpitudines in religionis negotio tam dense obuenientes, attingamus breuiter!* ante omnia quid tetrius obsecro cogitari potest illis hominum monstris, qui vt non sit quem metuant, nullum agnoscunt numen, nullum reuerentur! Qui nec immortalitatem suam, nec immortalitatis praesidem agnoscentes, eoque modo spem immortalitatis sibi ipsis praecidentes seipsos scientes volentes belluis annumerant: omne suum bonum in pastu ventris, aut euanidae ambitionis fumo, collocantes. Quorum tametsi forsan omni aeuo, gente, secta, aliqui fuerint: tantus tamen eorum nunc in ipsa Christianismi luce prouentus, cum turpi Christiani nominis ignominia coniunctus est. Equidem in pulcherrima veste nasci tineas, in formosissimo corpore deformes verrucas, in media luce tenebriones, quibus caligo pro luce adamatur, non mirum: turpe tamen est. 1. Atheismus.

14. Sed & turpe quod alii plerique faciunt, non negare numen ore, negare opere: h. e. nec numen, nec ea quae ad numinis nutum, beatumque cum illo consortium, spectant, curare. Nescire enim, aut 2. Epicureismus.

Digitized by Google

aut non attendere, quis sit qui te condidit, ad quid condiderit? cur huc miserit? quid de te proponat? quid tibi, vt ei placeas faciendum sit? si non purus *atheismus*, *epicureismus* tamen certus est. Et tamen haec ipsa sunt, quae vulgo omnium minime curantur, imo in quorum ignorantia & contemptu polituli quidam gloriam aucupantur,

3. Supinitas extrema domi.

15. *Quibus autem illa curantur, quomodo curantur? plerumque perfunctorie, vix vsquam satis pro dignitate rei.* Cum enim nihil maiori periculo tractetur atque religio, a qua spes & timor vitae & mortis aeternae pendet: nos tamen vix vsquam minus curiosi, plerumque sequimur antecedentium gregem, eundo non quo eundum est, sed quo itur. Quotusquisque est qui dicat; *tutamne sequor viam? annon deceptionis subest aliquid? quid est quod hic adeo distamus?* Vnus mundus, vnaque in illo humana gens, nonnisi ab vno DEO venire potuit. Qui si vnus, vna itaque eius de se colendo voluntas. Cur ergo hanc non sequimur omnes? vnde ergo tot numina? tot diuersi & contrarii numinis colendi ritus? deceptionem nidulari vbiubi oportet: imo vbique, vno excepto. Vbi vero id? an ego beatam illam, vnam, solam, veram religionem teneo? spero sane: sed & sperant alii, se rectam calcare viam. Videndum itaque vbi veritas, vbi error? videre autem id, & dignoscere & diiudicare, non potero, nisi quid teneant hi, isti, illi, cognouero. Cognoscam igitur: paratus si meliora reperero, meliora sequi; si melius nihil; meam tenere viam constantius; DEOq; seruire eomodo, quem cognoscere dat euidenter, feruentius. Ita si verum veri DEI cultum vere quærerent omnes, ope DEI vere inuenirent, tristisq; illa dissonantia euanescerent. *Nunc talia nemo quaerit, sed in quamcunque religionem quemque nascendi sors, aut alius aliquis casus, detulit, ibi haeret. Ideo tam religione, quam fluviis, maribus, montibus, linguis, moribus, alii ab aliis constanter separati manemus. Turpe certe in vnius DEI schola, regno, templo, tanta dissidia.*

4. Erga eos autem qui foris sunt, furor.

16. Sed & hoc videamus, *annon quaeso religionem, quae DEO similes reddere nos debet, rem quandam mitissimam esse conueniebat?* Vnde igitur est, quod alii alios, religione a nobis discrepantes, ferre nequimus? cum ille ipse, quem religio aut placat aut irritat, eos qui se placant silentio suscipiat propitius; qui autem se irritant, toleret patiens. Nempe, cui non desunt fulmina (si sic gloriam suam vindicare bonum putaret) ille non fulminat: nos quibus nulla sunt, fulminare non cessamus.

17. *Tur-*

Digitized by Google

17. *Turpe inprimis, quod vix vlli acrius dissident, acerbioribusque in religione odiis certant, atque hi ipsi, qui religionem tot reuelationibus diuinis firmatam habere se credunt, Christiani.* Non quidem ignoramus, quo lux fulgidior est in aliquo corpore, eo densiorem fieri adiacentem illi vmbram? zelumque pro re adamata tanto feruidiorem, quanto maioris res ipsa aestimatur: ideoque zelum pro DEO, quem optimorum optimum credimus, natura sua nec debere nec posse esse; nisi feruidissimum. Vnde necessario sequitur, vbicunque plus cognitionis aut est, aut esse praesumitur, ibi etiam exsurgere plus zeli, siue secundum scientiam; siue sine scientia. Non tamen his rationibus excessus ille zeli, h. e. furor quo alii in alios vehimur, excusari vllo modo potest. 5. Maxime inter Christianos.

18. Ita de corruptelarum nostrarum turpitudine, in statu *eruditionis*, *politico*, *religioso*, superficietenus aliquid dictum esto. Iam cogitet quisque: *si nos qui prae philautia aegre aliquid vitii agnoscimus* (amor enim coecus est) *foeditates nostras ita vt sunt non expendimus: num etiam aeque surdum & coecum necesse sit eum esse, cuius oculi millies sole ipso lucidiores sunt?* Num putamus, dum eruditi nostri tot modis dissonant, politici tot mndis discrepant; theologi tot modis discordant; aliam in auribus DEI audiri harmoniam, atque qualis auribus nostris esset, quam quis ex balatu ouium, & mugitu boum, & grunnitu porcorum, & ruditu asinorum, & sibilatu viperarum &c. singulorum istorum gregibus in vnum coactis, efficere tentaret? Vae nobis miseris, sic ab aeterna harmonia prolapsis! Dissonantiae nostrae quales in auribus oculisque DEI.

19. Non sola autem turpitudo, quae confusionibus nostris inest, sed & multiplex interueniens *noxa ac pernicies*, merito nobis horrorem incutere debet. Primum enim in miseram prorsus conconditionem praecipitamur, quicunque a veritate in errores, a libertate in seruitutem, a DEO lucis & vitae fonte in tenebras & mortem, prolabimur. Externe oculos habere coecos, aures surdas, mutam linguam, pedes claudos &c. calamitosum est: sed millies magis, si cui coeca mens, surdum cor, clauda, fracta, rupta, conquassata omnia. Qualia profecto sunt maiori ex parte omnia nostra, integrum vix quidquam. Corruptelarum nostrarum noxa. 1. Quod nos sensu miseriae nostrae privent.

20. *Accedit, quod plerique nec mala sua agnoscere, nec in melius al quid commutare, vel, optant vel patiuntur.* Nolunt ad lucem aperire oculos, bene sibi esse credunt in tenebris. Nolunt ad DEVM eleuare corda, bene sibi esse putant sine DEO. Nolunt ordini 2. Stuporem inducant.

Digitized by Google

inter ſe conſtituendo applicare animum: bene ſibi eſſe inter violentias & vincula imaginantur, eheu! multi horum, miſeriis preſſi, luctu & ſuſpiriis vitam vix aegre trahunt: nec tamen meliora anhelant. Plures ne ſentiunt quidem mala ſua, ideoque inter onera exſultant, cruces ſuas adorant, ſupplicia ſua rident.

3. In ſenſum peruerſum agant.

21. *Et quod peius, peruicacia & obſtinatione laborant: vt melioribus, dum offeruntur, reſiſtant etiam.* Peruerſitas quaedam, & conatus vincendi etiam in mala cauſſa, nimis euidens eſt in quibusdam naturis, ſi non integris nationibus aut ſectis. Mendacio quaerunt opprimere veritatem, hypocriſi religionem, vi innocentiam: quid illis facias?

4. Quidquid mali vsque exoritur, potenter propagent.

22. In ſumma, *quicquid in genere humano mali exoritur, inceptum a quocunque, mox radices agit, potenterque vt infelix lolium fruteſcit: nec eradicari facile, aut etiam vllo modo, patitur.* Coepit primus homo, omnium noſtrorum progenitor, *Adam*, illicita appetre, DEO non obſequi, mandata eius transgredi: punitusque fuit mox, ne malum impunitum abiret in exemplum. Nos tamen ſtrenue continuamus: plenus enim eſt ſimillima progenie mundus totus. Coepit *Cain* DEO fucum facere hypocriſi, & punitus fuit: totus tamen mundus hypocritarum & homicidarum plenus eſt. Coepit *prior mundus* commeſſari, perpotare, libidinari, DEVM non curare: puniti ſunt diluuio, perieruntque, at non periit exemplum, imitantur id mundi huius, qui nunc eſt, incolae, perſtrenue. Coepit *Noe* ingurgitare ſe vino, turpique ludibrio & ſcandalo eſſe ſuis, confuſus propterea, nec tamen deſiſtimus nos: ebrioſorum turpitudines ſuas denudantium plena omnia. Coepit *populus a diluuio* aedificare in coelum turrim, h. e. propriis cerebri ſui adinuentionibus ad DEVM quaerere vias. Confuſi ſuut & diſſipati, nos tamen ne ſic etiam per orbem diſiecti, deſiimus aedificare Babel: non ſolum continuando conſpirationes contra DEVM, vel nos inuicem, varias (colonias enim inde duximus omnes, omnesque ſimul ſumti Babylon illa magna ſumus, diſpergenda in aeternum, niſi reſipuerimus adhuc) ſed & ſinguli etiam peculiares intra ſeipſos concipientes minutulas Babylones. Plenus certe confuſionum eſt mundus vniuerſus. Coepit *Nimrod* venari homines, monarchiamque ſibi ſuper gentes conſtituit, quam euertit dominus, ſicut & alius ſequentes: nos tamen non definimus ſcandere alii ſuper alios, ad opprimendum quos datur.

23. *Au-*

Digitized by Google

23. *Auget incommoda, quod hae corruptelae in nos recidant, nos ipſos perdant.* Minimum quidem inter caetera res literaria genus humanum vaſtat, quantum ad externa: quoniam ſapientiae aemulatio bella & ſanguinis diluuia nulla adhucdum produxit, ſicuti ab aemulationibus religionum & politiarum fieri videmus. *Non deſunt* tamen *eruditorum etiam confuſionibus pernicies ſuae.* Nempe dum docti inter ſe digladiantur, iudocti ſtupent: dum illi delirant, hi in vertiginem aguntur: ad nutum quippe iſtorum hi verſantur. Atque ſic dum caeci caecorum duces ſunt, quid fiet? Quid autem veritati de qua altercantur? illam nimis altercando amitti, vetus & verum eſt dictum. Dum enim victoriam alii tantum de aliis quaerunt, ſophiſticationibus plerumque res agitur: poſthabito, quid veritati fiat, modo nos non ſuccumbamus. Sed & qui veras defendunt ſententias, plerumque acerbis in ignorantes inuectivis rem agunt: vt non aliud quam odium ſui, & quam defendunt veritatis, reportent. Noxa in ſpecie litterariarum confuſionum.

24. *Ex confuſione linguarum venientis noxae caput hoc eſt*, quod dum commune vinculum non habemus, vt corporibus ita animis diſperſi manemus: dumque non penetramus ad inuicem vbique (vti poſſet, ſi eſſemus gens vna, labii vnius) ignoramus nos inuicem pleraeque gentes, noſtraque bona & mala. Vnde fit, vt nec mala commiſerari, & inuicem ſuccurrere, nec bona impertiri ac communicare, valeamus. Et eius quae in linguis eſt.

25. Magis autem oculos incurrunt *ea damna, quae dominantium aemulationes generi humano attrahunt.* Memorare alia nihil opus: *teterrima illa perniries, bella, quantas humano generi* (bone DEVS!) *afferunt clades!* Patebit id, ſi vel praeſens hoc bellum, quo quadraginta fere annis infelix flagrauit Europa, intueamur. Quo tot exinanitae vrbes, tot vaſtatae prouinciae, exciſi populi, ſubuerſae florentiſſimae reſpublicae, integraque regna cadauer facta. Nec dum omnino furoris finis: qui ſuperſunt, vt ſe conficiant in id laborant ſtrenue. Quis modus aut finis malorum? Et politicarum.

26. *Quid autem religioſorum aemulationes? magna furentium, & res ſine fine intricantium pars, illi ipſi ſunt, qui inter DEVM & homines pacis authores, & proxenetae, eſſe debebant.* Calamitoſius vero eſt, quod hi ipſi *religioſi* in infinitum productis, & nodoſiſſime implicatis *controuerſiis*, & doctorum ingenia, & indoctorum conſcientias, ſine fine fatigant: eoque animas, quas deliciis paradiſi implere debebant, angoribus & tormentis implent: vt multi vitae huius Et religioſarum.

Digitized by Google

pertaesi, futurae incerti, quo se vertant nesciant. Nam *quid adversus haec omnia? vbi? apud quem? veri ac solidi solatii quaerendum? Non nasci praestiterat, quam nasci ad tot miserias*: tandemque praecipitari in mortis abyssum, nec scire quo vltra.

Miseriarum finis ne quidem in vitae fine perandus.

27. Voluerunt in gentilitate quidam aduersus calamitates vitae id solatio esse, *quod exitus vndique pateret.* At vero id aduersus calamitates aeternas nihil valet: inde enim exitum quis speret? & quo? Lamentabilis igitur sors nostra, nisi aduersus tot vitae mortisque praesentes & futuros terrores solidi aliquid, quod intrepide opponamus, inueniatur. O DEVS, DEVS, DEVS, miserere!

Caput VII.

De emendatione rerum humanarum consultatum fuisse a corruptionis initio hucusque.

Consultare quid sit? & quo trino modo fiat?

Consultare, dicuntur homines, cum de rebus nouis recte constituendis, aut corruptis restituendis, aut amissis recuperandis, cogitationes suscipiunt: siue (1) apud animum suum quisque, (2) siue sermonibus apud amicos reciprocatis, (3) aut etiam deniq; reipsa aliquid, pro euitando aliquo malo, aut obtinēdo aliquo bono tentantes.

De RR. humanarum emendatione semper consultatur, diuinitus & humanitus.

2. *Trino hoc sensu de rerum humanarum emendatione consultatum semper fuisse dicimus, h. e. cogitationibus, sermonibus, moliminibusque variis, seriis, indefessis, DEI & hominum respectu.* Quia nec DEVS prolapsis rebus humanis vnquam defuit, nec homines sibi ipsis per omnia. Iis tamen quae DEVS in reparationem perditi generis hucusque egit, agitque (quam ab ipso corruptionis initio errores nostros viis omnibus emendare quaerat, quamque omnia diuinae prouidentiae opera vnice eo tendant) in alium locum reseruatis: nunc, quid homines ipsi pro rerum suarum emendatione hucusq; tentarint, molitique sint, persequamur.

Hominum sapientum ab omni aeuo molitiones, non aliae fuerunt.

3. Prorsus sic existimo: *si quis omnium hominum sapientum, piorum, prudentum, qui inde ab exordio rerum humanarum vixerunt, posset intueri cogitationes, audire sermones, legere scripta, considerare facta, vix aliud illa fuisse reperiet, quam morborum generis humani vestigationes, & reme-*

Digitized by Google

remediorum aduersus morbos tentamina varia: quanquam successu eatenus semper votis minore, vti mox patebit.

4. *Sed nec illa, quae reliqua hominum turba vnquam egit, & hucusque agit, aliud sunt, quam pro emendatione rerum suarum molimina perpetua: etiamsi quid agant non intelligunt.* Scire enim omnis homo aliquid desiderat; & vt sciat, quotidie scientiam augere, h. e. quotidie aliquid audire, videre, tangere, agere, etiam nouum aliquid excogitare, quaerit: torpere prorsus, vix cuiquam possibile est. Tum vero pro *libertate*, siue comparanda, siue tutanda, quid non vulgo tentant? etiam qui seruiunt, seruitutis excutiendae occasionibus quam intenti sunt! *conscientiae* etiam vt consulant, nihil non agunt omnes homines. Alii nempe tenerrime eam in obsequio DEI custodiendo, vt eam experiantur pacatam! alii per vim obtundendo, ne experiantur oblatrantem. *Praeterea, quid est, quod nemo mortalium sua sorte contentus viuit? quod quisque semper quiddam, vnde sibi melius sit, quaerit?* Affluat aliquis eo vsque bonis quibuscunque, vt aliorum iudicio beatus videatur, ille tamen sibi semper aliquid deesse sentit: ideoque de augendis, vel in melius mutandis, rebus suis cogitare non desinit. Etiam qui ad naturam humanam minus pertinentia sectantur, opes, honores, voluptates, bonum tamen sectari se sibi persuadent, eoque solum fine, quia se rebus istis leuare sperant, istis inhiando, melioris cuiusdam status desiderium produnt.

Nec reliqtum vulgus aliud (ignarum etiam quid agat) agit.

5. Missis tamen vulgaribus istis, quae quotidiana sunt, & quasi a priuatis priuatim fiunt: quid publice & a viris sapientibus, expressa publicae rerum emendationis intentione, tentatum hucusque fuerit, videamus: primum in *sapientiae studio*, deinde in *religione*, tandem in *politica prudentia*: addito vbique, quid reperto vno quoque remediorum effectum, aut in melius profectum, sit.

Catalogus rerum, quae aperto titulo. *pro RERVM EMENDATIONE*, acta sunt.

I.
In sapientiae studiis, id est philosophia.

6. In sapientiae studio *tentamen primum* hoc fuit: quod viri quidam ingeniosiores rerum contemplationi totos se dabant, nihil aliud, aut nihil aeque, per totam vitam acturi, quam vt rerum naturas scrutando, cognitionis lumen sibi & aliis augerent. Nomen his Φιλοσόφων, h. e. *sapientiae amatorum*, datum: quorum opera humanum ingenium multum profecit, scientiaeque & artes inuentae multae

7. At cum non vbique ad rerum medullas penetrarent, aliterque multa posterioribus obseruarentur quam prioribus; aut etiam coaeuis haec & illa aliter aliis visa: enascebantur subinde nouae

2. Philosophorum dogmata fingendi consuetudo.

Digitized by Google

hypotheſes, tentaturis num ſic, vel ſic, aut ſic melius, procedere vellet negotium? donec ad infallibiles formas & normas reducerentur omnia, repertaque ſunt multa prioribus meliora. Sed dum ſibi alii ſua deſerere dogmata dedecori ducerent; aut quae recentioris erant inuentionis nihilo viderentur certiora, *enatae ſunt variae philoſophorum familiae, diuiſae iam in ſectas, qualibet illarum ſua defendente placida.* Quae occaſio fuit, partim in veritatem rerum acrius inquirendi, partim tamen rurſum de veritate rerum tam controuerſarum dubitandi, aut etiam tandem in errores varios prolabendi.

3. De dogmatibus diſputationes.

8. Cum ergo nusquam tam clarum, quod res eodem modo oſtenderet omnibus, appareret lumen diſſenſionesque humanas animus moleſte ferret, *ventum eſt ad concertationes de dogmatum, ſeu veritate ſeu veriſimilitudine. Quae fuit origo diſputationum, quibus per tot ſecula omnia eruditorum perſtrepunt*; nonnullo quidem ad eliciendum hic & illic veritatem profectu, minore tamen illo quam vt operae pretium ſit. *Diſputationes enim illae oſtendunt, firmiſſimos argumento ſunt, res non intelligi: quia ſi intelligerentur, commonſtrarentur etiam vt videri poſſent.* Et quid indicat vſitata illa diſputationum vehementia, rixae, clamores, odia? Certe non ſolemus videntes caecis iraſci, commiſeraſcere potius. *Res ergo ad propagandum cognitionis lumen non ſatis proportionatae ſunt paleſtricae illae diſputationes.*

4. Collegiatae placidae diſquiſitiones.

9. Mollius fuit inſtitutum eorum philoſophorum, qui blanda ſententiarum collatione vti maluerunt, collegiali opera. Talia enim *ſociata collegia* & apud antiquos in vſu fuerunt (collegia intellige patriarcharum, Aegyptiorum ſacerdotum, Brachmanorum, Magorum, Druidarum, Rabinorum) & ſunt hactenus: nempe *in Italia collegium Lynceorum, in Gallia Roſiorum, in Hiſpania Illuminatorum. in Germania Frugiferorum*, & ſi quae alia ſunt.

5. Profeſſiones publicae ſcholaeque.

10. Alii vt prodeſſent magis, & in publicum, *ſcholas publicas* aperiendi iniuerunt conſilium: quas frequentare, varios ſapientiam profeſſos de rebus quibusuis diſſerentes audire, eoque animos ſcientiae lumine tingere, cuiuis liberum eſſet, adeoque ſolenne, multo multorum profectu. *Hinc Philoſophos Seneca generis humani paedagogos appellandos cenſuit.*

6. Libri in publicum ſcripti.

11. Et vt ad abſentes quoque eruditionis lumen ſpargi poſſet, *inibatur conſilium libros ſcribendi, iisque quicquid pulcrum & memorabile eſſet conſignandi*: ſiue vt in bibliothecis adſeruati quoties vſus poſceret

Digitized by Google

sceret expromi, siue etiam vt transscriptione multiplicari, & quibusuis mortalium communicari, possent. Quae res sapientiae studia per varias gentes & linguas spargendi occasionem dedit.

7. Libros celerrime transscribendi ars Typographica.

12. *Quod consilium ab inuenta arte typographica validissimam reperit promotionem.* Arte inquam, qua incredibili celeritate & elegantia multiplicari possunt; *vt se iis ad lubitum instruere, nihilque propemodum ignorare, cuiuis in promptu sit.* Artis enim huius beneficio, quicquid ab omni antiquitate monumentorum ad nos transmissum fuit, in lucem protractum est: & quicquid nostri aeui ingenia (antiquis haud minus foecunda) parturiunt, facillime a gente in gentem transmittitur. *Si modo ingratitudo, tantique doni DEI abusus non vnus, non accessisset.* Nempe ambitio & auaritia: quae libros (bonos, malos) sine necessitate multiplicauit, scholasque & ingenia diluuii cuiusdam instar inundat & adobruit: vt quanta prius librorum fuit fames, tantum iam insecutum sit fastidium. Accedit *hominum socordia, libros propter indices coëmentium:* quibus dum se in omni casu iuuari, & quod vsus poscit reperire posse, confidunt, animum scientia rerum instruere non curant. Vnde fit, vt seculum hoc libros habeat doctos, viros non item: cumque antiqui sapientiam gestarint in pectore, nos gestemus in chartis.

8. Libros nouos scribendi & legendi ardor, eatenus inexplebilis, imperfectionis rei literariae testis.

13. Istis tamen, quantumuis variis moliminibus, nondum omnem sapientiam ab antiquis ad nos deriuatam fuisse indicio porro esse potest, proximo hoc seculo indefessa tot scripturientium diligentia, nouosque istos libros legere desiderantium ardor: qualiter nullo ante hac seculo contigit. Fatendumque est, multa in hisce recentibus libris interdum detegi, quae ignorata fuerunt ante. Nonne ergo tam scripturientes isti quam lecturientes publice fateri videntur, illaquae ante hac exstitere, haud sufficere? omninoque melius commodiusque aliquid quaerendum restare? vt taceam iactantiam nonnullorum de arcana circa has vel illas artes scientia: quam seu vere habeant, seu vane iactent, argumentum tamen est vulgo nota vulgaria esse; nec rebus, aut humanae auiditati, satisfacere.

9. Sicut & noua didacticorum molimina.

14. Agmen tamen horum omnium claudunt, qui nostra demum aetate numero bene multo passim prodiere, *didactici.* Hi scilicet anxio molestissimoque labore *viam excogitare, ac monstrare, conati sunt, quomodo insciitia e rudiorum mentibus tolli, scholarum errata corrigi, scholasticaeque cruces minui; contra eruditio plenior & solidior leuiori negotio, minorique tam docentium quam discentium fastidio, com-*

Digitized by Google

comparari debeat. Pro quo obtinendo ſcopo alius hanc, alius aliam rationem, vti diſpari ingenio aut diligentia, ita diſpari quoque ſucceſſu, iniuit. Omnes quidem laude ſua digni, pro ſuo quisq; tentamine; at erratis iſtis funditus amouendis nondum pares ſufficientesque deprehenſi. *Mundus enim tenebris ac barbarie fere eadem, vti ſemper adhuc, laborat: totque ſapientiae theſauri & infundibula apud plerosque ſine vſu ſunt.*

II. *In religione quid hucusque tentatum.*

15. Pro emendando religionis ſtatu tentata quoque iam ſunt varia. Et *primo* obſeruatur ab omni antiquitate, *per omnes gentes receptus iam, feſtis diebus coetus ſacros cogendi mos*: vbi congreſſa multitudo de Numinis cultu deuote exhibendo, verbis & exemplis docetur. Sed & intermiſſum id rurſum eſt paſſim gentium: & vbi retinetur, vix vsquam pro aeternae Maieſtatis dignitate res tractatur.

1. Coetus ſacri publici.

2. Ceremoniae ſacrae variae.

16. Vt tamen decor tam ſanctae rei non deeſſet, eſſet autem vnde homines tam allicerentur ad coetus ſacros, quam detinerentur in attentione, *inſtituti ſunt diuinitus (aut etiam adinuenti humanitus) varii ritus ſacri, ſenſus captiuantes, animosque ad hoc agendum, quod agitur, excitantes.* Sed & illa omnia partim obſoleſcere, partim in ſuperſtitiones degenerare conſueuerunt: vt alii in aliis videmus, & culpamus.

3. Ordines ſacri varii.

17. Cum ne ſic quidem ad religioſam mentem traduci poſſent omnes, turbaque hominum & ceremoniarum turbaret potius quam foueret, puriorem animarum zelum: factum eſt paſſim gentium & ſeculorum, vt magis pii & deuoti in peculiares quosdam ordines, aut ſocietates, coaleſcerent, ſtrictioribus quibusdam legibus, ceremoniis, exercitiis, ad ſerio ac deuote ſeruiendum DEO inter ſe obligati, exemplisq; mutuis ſeſe inuicem excitantes.

4. Sectae variae.

18. Quin &, ſi corruptus viſus fuit, totus religionis ſtatus, nec emendandi eius ex toto ſpes eſſet, a toto eccleſiae coetu ſeſe ſeparandi, peculiaresque coetus, & peculiares religiones, conſtituendi, apud Iudaeos, Chriſtianos, Mahomedanos exempla habemus. *Vnde ſchiſmata & ſectae, hereſesque inter illos exortae.* Tam impotens eſt animis humanis, DEO quam puriſſime ſeruiendi, deſiderium: tam inſuperabilis veriora & meliora videndi, aliisque commonſtrandi, aut etiam commonſtrantibus obſequendi, cupido.

5. Religionum indifferentia.

19. Romani olim omnes omnium DEORVM dearumque religiones, quos & quas apud vllam gentem reperiſſent, in ſuam rempublicam recipiebant: aberrare ſe ſic a vero veri DEI cultu, quis-

Digitized by Google

quisquis esset, non posse rati. Ideoque *omnibus ac singulis aedificabant templa, tandem & vnum omnibus, πάνθειον dictum: sicuti & Athenienses altare, IGNOTO DEO.* Sed confusio fuit veri DEI cum idolis, religionisque purae cum spuriis; cum nec DEVS verus nisi vnus; nec religio vera nisi vna, esse possit; quia verum plus vno esse non potest.

6. Religionum intolerantia.

20. Contrarium huic nonnulli insistere tentarunt viam; *religionem nisi vnam, nempe suam, non tolerando.* Cum enim numinis colendi viam, quam sequebantur ipsi, solam crederent legitimam: (id autem quis non credit?) putabant se DEO praestare cultum, si hanc propagarent vnam; reliquas, tanquam numini inuisas, abolerent. Quo zelo hucusque videmus flagrare plerosque, vt omnes a se dissentientes religiones extirpari posse perquam optent; manus etiam, si occasiones viresque sinunt, non illubentes operi admouentes. Sed zelus hic non est secundum scientiam: nec enim tali exemplo praeit DEVS, qui tolerat omnes.

7. Religionum omnium abnegatio.

21. Reperti tandem sunt, qui ob tot tantasque in religione confusiones horrore correpti, *conscientiae tranquillitatem in ipsa irreligiositate quaerere attentarunt, h. e. in Numinis abnegatione*: experiri volentes, an vel sic meliuscule possit esse animo, si amoueatur is, quem alioqui in aeternum trepidare necessum esset. Extrema quidem haec istorum dementia est, ex eodem tamen quo caetera illa fonte promanat. Numinis sensu: a cuius pauore liberare sese quaerunt.

Quo omnia ista profecta.

22. Ita videmus, quam nihil intentatum relinquatur pro excolendo numinis commercio, tranquillandisque conscientiis. *Profectumque aliquid saltem esse, hoc testimonio sit, quod quae adeo olim invaluerat insania, πολύθεια* (multorum Deorum cultus) *iam DEI ope sublata est.* Quotquot enim nunc orbem terrarum incolimus, vnum adoramus DEVM, coeli & terrae creatorem; vsque ad paucos adhuc superstites, qui quid adorent nesciunt. Quos o illuminet iam quoque aeterna lux! nobisque caeteris lucidiorem in dies sui concedat conspectum, vt videamus talem qualis est, & illi seruiamus sic vti beneplacitum est sibi.

III. *Pro cohabitationis pace quid tentatum.*

23. *Videamus iam quid pro obtinenda in genere humano pace & concordia tentatum sit, quam varie, & quo successu? primum medium fuit, societatum fundatio; vbi plures coalescunt, vt in vnum corpus membra regenda tamen a capite vno, ordinis caussa.* Talis societatis primitus fuit domestica, in vna familia; deinde plurium familiarum, in v-

1. Societatum fundatio.

Digitized by Google

no vico: tum plurium vicorum in vna ciuitate: tandem plurium ciuitatum in vna regione, aut regionum in regno vno: cuiusmodi subordinatio fundamentum est omnis boni ordinis, omnibus in rebus: per se tamen, sine aliis vinculis, non satis firmum ad cohibendum exorbitationes.

2. Legum vincula.

24. *Ventum ergo ad leges hominibus ferendas, vt quisquis suo loco munia sua non ignorans, ex praescripto regulariter viuere consueseeret.* Quod vt ordini externe conseruando non inidoneum est medium, ita internas tollendi ataxias vim prorsus habet nullam: quia natura humana concreatae sibi libertatis memor, nihil aegrius quam legibus constringi, tolerat. *Nitimur* (potius) *in vetitum semper, cupimusque negata*: quia nostrae spontis esse cupimus.

3. In exorbitantes inuectiuae.

25. *Venerunt ergo potestatibus auxilio sapientes, philosophi & poetae;* exprobrantes turpitudinem, si animal rationale nolit duci, sed impetu bruto agi. Hinc *Diogenes* in ipso meridie Athenis, cum accensa lucerna per mediam hominum turbam discursans, homines se quaerere dictitabat: confundere sic brutalitatem vulgi, & ad aliquam sui cognitionem permouere, quaeritans. Hinc *Heraclitus* suspiriis, lacrymis, lamentisque perpetuis humanas stultitias perpetuo deflebat. *Democritus* vice versa ad cuiusuis hominis conspectum ridens, omnes vanos & irrisione dignos esse testabatur. Aliique alia simili sensu factitarunt, praesertim *poetae comici, tragici, & satyrici*: qui iam laudando, encomiaquae humanae naturae, & ideas, scribendo; iam vituperando & mordendo, exitusq; sceleſtorum horrendos praemonstrando, virtutum & vitiorum exempla, praemia ac poenas, conuocato ad publica spectacula populo exhibebant. Sed confusiones querelis, aut fletu, aut risu (si ad remedia non veniatur) non tolli, res ipsa docuit: plerisque hominum pro stoliditate sua sapientum illorum aeque fletum ac risum irridentibus.

4. Philosophia practica, seu moralis.

26. *Quaesitum ergo laboranti humanae naturae consiliis bonâ subuenire; vnde philosophiae studium* (rerum fines vestigans, & ad fines media disponens) *enatum.* Quanquam autem ingentibus euecta fuerit laudibus *philosophia:* quod esset *animi medicina, vitae dux, virtutum indagatrix, vitiorum expultrix, ad beatitudinem lux, & quae hominem DEO parem faceret* &c. id tamen & paucis, & parum profuit, plerisque nec voces ipsas exaudientibus, nec rem intelligentibus.

27. Con-

Digitized by Google

27. *Constitutae itaque legum transgressoribus poenae, irrogataeque:* quia sine his indomita esset malorum licentia; neque consistere posset vlla humana societas in vlla gente. Nec tamen vel sic etiam omnis malignitas & violentia reprimi, nedum tolli, possunt: quod carceres, cippi, patibula, similiaque maleficos & maleficia refrenandi instrumenta, vix vnquam otiosa, satis testantur.

5. Transgressoribus constitutae poenae.

28. *Cum sic etiam vacillarent omnia, tentatae sunt variae regiminis formae: iam vni permittendo totius reipublicae arbitrium, iam pluribus selectis, iam omnibus promiscue.* Sed singulas hasce gubernandi formas (*Monarchicam, Aristocraticam, Democraticam*) sua secum ferre incommoda, ordinisque suo modo soluere repagula, deprehensum est. Nempe quia vbique se aliquid admiscet violentiae: innatus autem menti humanae libertatis amor vsque adeo expugnari non potest, vt vbicunque se circumueniri & constringi (seu vnius seu plurium concessae potestatis abusu) sentit, non quaerere exitum, qua datur, impossibile sit.

6. Regiminis tentatae diversae formae.

29 *Etiam vt alii ab aliis tutiores esse possent, coeptum est foederibus sese copulare, primum quidem reges cum subditis suis*, & vice versa, legibus certis, *tum vicinae ciuitates, regiones, regna.* Si autem violari foedus altera pars sentiret, nec emendari querelis & expostulationibus res posset: bellis vlcisci iniurias, seque restituere libertati, quaesitum.

7. Foederum vsus.

30. Sed & aliud minus violentum discordiarum remedium tentatum est, *reductio* nempe *plurium terrarum sub sceptrum vnum*: vt dissidiorum praeuenirentur occasiones. Inde regnorum minorum coniunctiones, *vsque ad tentamen, omnia mundi regna sub vnum reducendi caput.* At nec id satis feliciter successit vnquam, a tot monarchis & nationibus toties tentatum. Nec enim vnum hominem sufficere omnibus possibile: administratio, etiam in monarchico statu, committenda est pluribus. Qui aut ambitiosi sunt, regnareque malunt quam ministrare, & contra dominos suos insurgentes, eos regnis exuunt (vti non semel factum) aut mercenariorum instar perfunctorie res agunt, auaritiaeque suae aut libidini indulgent. Vnde populorum impatientia, murmura, tandem tumultuationes, seditiones, bella, regnorum ruinae, & ex recollectis ruinis noua rursum minutiora regna.

8. Reductio potestatum sub caput vnum.

31. Hoc igitur istis regnorum & rerumpublicarum collisionibus profectum est: vt tametsi mundus toties iam sanguinis diluvio, desolationesque horrendas, passus sit, causae tamen bellorum per-

Causae nihilominus tamen bellorum perstant semper.

Digitized by Google

perſtent: dum alii aliorum libertati inſidiari, & hi rurſum pro libertate ſua excubare, & ſic leuiſſima occaſione ad certamina & caedes redire, non intermittunt.

Imo confuſiones in dies augentur magis.

32. Videmus ergo, tametſi mille modis tentetur religio, mille modis politia, mille modis literatura, ſeu ſcientiarum ſtatus: nihil tamen reperiri, quod omnibus ſufficiat. Laudant quidem plerique ſua, ſibique in illis complacent: at reuera vix quisquam eſt ſine ſcrupulis conſcientiae, aut periculo ſtatus ſui. Alii vero in aliis quid non monſtroſi videmus? Imo non ſolum nihil remediis inſigniter profectum eſt, creuerunt magis mala ſub ipſis remediis. Sectae dum ſe inuicem exſtinguere quaerunt, non exſtinctae ſunt, ſed auctae. Hoſtilitates dum ſe expugnare quaerunt, non ſublatae, ſed radicatae. Res literaria quo plures accurrunt, eo redditur intricatior. *Ita prius morbis laboratum eſt, poſt remediis, nunc vtroque. Nec enim iam vel morbos noſtros, vel remedia, ferre poſſumus.*

Oſtenditur id exemplo medicinae.

33. Exemplis pateat, quam remedia hactenus quaeſita morbos nonniſi auxerint. *Non poſtrema ſcientiae humanae pars eſt medicina: quae quomodo creuerit, & quid profecerit, videamus!* Antiquis hominibus morborum remedium vnicum fuit, *vitae frugalitas*: a qua cum paulatim ad delicias, & inde in intemperiem, deflecteretur, eruperunt morbi, hi & illi. Quaeſita his remedia, reperta que ruditer primum, ſufficienter tamen. *Cum morbis deinde creuit ars, & cum arte morbi:* vt infinitum quid factum ſit vtrumque. Morbis enim obluctatur ars, quotquot poteſt modis: artique rurſum morbi. Quia dum ars corpora humana afficit varietate infinita: infinita elicit & excitat in corporibus latitantia (alias ſeſe vix exſertura) morborum ſemina: hominesque ipſi, dum confugio medicinae freti, in omnem intemperantiam ruunt, omnem in ſe tartari vim commouent, ſtragesque valetudinis edunt infinitas: quibus tandem omnis medicinae vis ſuccumbit. *Vt iam feliciſſimi videantur, qui medicinam ignorant, nec ea vtuntur*: ac, ne vti opus habeant, temperantia praecauent.

Et iurisprudentiae.

34 *Similiter ſe res habet in adminiſtranda iuſtitiae ratione, vbi leges legumque interpretationes in tantum creuerunt, vt praxis facta ſit, & difficilis ſupra modum, & lubrica, & periculoſa, paſſim denique peruerſa. Quod facit, vt praeſtare videatur ignorari omnia, & ad ſolius naturalis iuris dictamen componi omnia.* Oſtendunt id exempla regiminis in gentibus minime cultis, pro barbaris licet a nobis reliquis habitis: qui dum interuenientes lites ex aequo & bono inter ſe dirimunt,

&

Digitized by Google

& minus rixarum habent, & quietius sua possident.

35. *Idem iudicium de sapientiae studiis, philosophia, obtinet:* multiplicata esse, & in millies millenas minutias dissecta, de rebus quibusuis minoribus (*maiora enim rerum vulgaris philosophia ignorat adhuc*) opinamenta, subtilitatibusque spinosis tam intricata omnia, vt quisquis se istis immergit, vertigine non corripi, (seu sensuum, seu phantasiae) vix possibile sit. *Vt propemodum ignorare praestet omnia, quam opinionibus infinitis infinite distrahi: & pro scientiae luce opinionum tantum habere fumos.* Et philosophiae.

36. *De religionis cultu, theologia, non aliud itidem pronuntiare veritas permittit, quam esse opinionum de DEO, rebusque diuinis, interminabile chaos:* siue quidem tot religiones, quas vbique per orbem videre est, cum inuicem conferamus, siue vnamquamque in seipsa consideremus. Nam si velimus inspectare omnes, quis numerare? si singulas, quis penetrare, poterit? Rudissimae illarum nihil sunt nisi tenebrarum abyssus, non tam inanitate sua, quam monstrosissimis de DEO, rebusque diuinis conceptibus, horribiles. Contra quae cultissimae videri volunt religiones, theologiam suam in tot millenas habent dissectam quaestiones, dubitationes, controversias, & sine fine casus & lites; vt nec vllum ingenium subtilitatibus omnibus comprehendendis; nec vlla conscientia scrupulis omnibus (qui quo plus quis istis scrutandis se occupat, eo plures enascuntur) concoquendis, sufficiat. Vt non immerito nonnullorum tot infinitis scopulis allisae, tot infinitis angoribus excruciatae mentes, in eam veniant opinionem: *praestare ignorari omnes factiosas rixosasque religiones, vnumque tacitum & occultum mentis cum numine coli commercium.* Et denique theologiae.

CAPUT VIII.

De rerum humanarum emendatione an porro consultandum videatur? & quare id vrgendum?

A Deo inualuisse mala nõstra, vt remedio vix amplius videatur locus (postquam tentata etiam remedia in perniciem vertunt) est cur indoleamus omnes. Sed an & manus remittemus omnes? absit! medicinam cessare Malis non cedendum: quia

Digitized by Google

non conuenit, non ceſſante morbo: inſtare potius, & variare, iuxta illud Poetae,

Et quoniam variant morbi, variabimus artes:
Mille mali ſpecies, mille ſalutis erunt.

1. Morbi etiam aetate langueſcunt.

Felix quandoque medicus in morbum declinantem incidit, qui ante validioribus remediis cedere refractarius, lenioribus poſt cedit. *Quis ergo ſcit, annon noſtris tam diuturnis malis tempus ipſum aliquod ferat auxilium?* certe quibusdam iuuenilibus morbis ipſa ſenectus remedio eſt.

2. Radices in nobis boni corruptae licet, non tamen ſublatae ſunt.

2. *Res humanae corruptae ſint licet, ſublatae tamen non ſunt: quia etiam ſub errorum, vitiorum, confuſionumque fermento remanet diuini operis maſſa.* Adeſt deſiderium ſciendi, ſenſus numinis colendi, amor quiete agendi. Reparari haec, aut denuo creari, opus non eſt: ſed reconcinnari, & intra cancellos ſuos reduci, DEI ope, ne exorbitent. *Nec obſtat, quod inſtinctus ad bonum ſint hebetati, notitiae ad verum obſcuratae, facultates ad operandum debilitatae*: quippe omnia iſta in ipſa corruptione naturam ſuam exſerunt, aberrando etiam ſcopum petunt, praeualente operae DEI admiſta corruptione. Quid enim? admittunt homines mala? non certe, niſi ſub ſpecie alicuius boni. Amplectuntur falſa? non aliter quam ſub ſpecie veri. Declinant facienda? non profecto, niſi ſub ſpecie impoſſibilis, aut difficilis, aut inutilis. Detrahantur ergo rebus laruae, vt quid vere verum, vere bonum, vere poſsibile, facile, vtile ſit, vere videant: qui nunc non videndo decipiuntur, videndo non decipi, eoque ſingulae facultates obiecta ſua vera vere perſequi, gaudebunt.

3. Potenter adhuc in nobis aberrent licet, operantur.

3. *Nec adeſſet tantum hominibus, ſed potenter adeſſe facultatibus iſtas, hoc oſtendit: quod dum illis vti neſcimus, in infinitos errores, vitia, temeritates, & inde caſus, nos impellant potius quam vt otioſae ſint.* Malunt nempe homines errare, quam nihil opinari; & eligere mala, quam nihil ambire; & operari praua, quam torpere. Quidni ergo ſpes ſit, ſi prouideatur, vt tam auide pabula ſua quaerentibus offerantur vere: vera, bona, facilia, emendatiores prodituras actiones? plane ſperandum, ſi offerantur intellectui nonniſi vera obiecta, *notiones communes* praeſto affuturas, quae adſentiantur: ſi voluntati nonniſi vera bona, *inſtinctum communem* vere affuturum, qui aſſiliat & rapiat: *ſi facultatibus operatiuis*, nonniſi agibilia legitima, ipſum harmoniae amorem pulchre quam monſtroſe operandum eſſe mox cuique ſuaſurum. Nam profecto tam impoten-

Digitized by Google

potentet quaerit natura humana perfici, vt si quid veri, boni, possibilis, alios videat consequi, se desperet posse assequi, inuidia ac moerore se conficiat. Gaudet nempe quisque ea scire, quae circa se sunt, & se concernunt. Gaudet se & sua regere, eoque sibi omnia ad nutum succedere. Gaudet denique Numen habere propitium, illiusque fauore beatus esse, hic & in aeternum. Mallet non esse, quam sibi male esse. Dum igitur aliquando se ista non adsequi, quibus fruuntur alii, videt, ringitur, dolet, tristatur, ad desperationem vsque.

Si modo hominibus vere ostendatur verum suum beatum.

4. *Si ergo hominibus ostendi posset omne suum bonum: non ferri ad illud, imo non rapi, impossibile foret.* Nempe si particulare quoduis bonum homines ad se rapit, quidni totum bonum? (plus efficere posse ignem quam scintillam, mare quam guttam, montem quam puluisculum, necesse est.) Nunc homines non vident omne suum bonum, quia non vident omnes suos fines, praesertim vltimos: & quia non distinguunt inter vera bona, & apparenter bona: & quia in bonis etiam gradus non attendunt, vt inter bona & meliora, & optima, electionem sciant. Et tamen quod quis videt, & quantum videt, tantum consectatur. Spes igitur est: si videant omnia, & videant citra errorem, electuros potius meliora quam deteriora.

Ea vera ad illud media.

5. *Tum si hominibus ostendantur ad omne bonum suum media prorsus certa; tot illae aberrationes, ob quas votis suis excidunt miseri, abesse profecto possent. Errores quippe hominum omnes in connectionibus fere sunt: quod media finibus applicare nesciunt.* Hinc est quod aut non applicant, aut male applicant, aut non constanter: & sic a finibus & votis aberrant suis.

Facultatesque mali affuetudine ligatae soluantur.

6. *Si denique hominibus ab impedimentis soluantur omnes suae facultates, vt quod volunt, & sciunt, etiam se posse sciant: progressuros ad optimos fines suos, spes est.* Et per consequens, si instinctus communes, & notiones communes, in ordinatum deductae sint (in conspectu mentium) syntagma, aliam prodituram rerum faciem, optatum nempe animorum, voluntatum, & actionum consensum.

Ex ilsdem fontibus iidem promanant riuuli.

7. Id autem inde; *quia communes instinctus* quid omnes velle debeamus, ne discordemus voluntate, docerent nos. Et *communes notiones* quomodo res in fundamento intelligendae sint, ne dissentiamus intellectu, instruerent nos. Communes vero facultates quid operari omnes conueniat, ne dissonemus studiis, ostenderent nobis. Atque ita *si ex communibus fontibus saperemus, amare-*

mus

Digitized by Google

mus, ageremus, omnes: haberi posset vnā, vera, bona, catholica, omnibus sufficiens, Philosophia, Religio, Politia.

Demonstratur id exemplo cuiusque haec legentis.

8. Adiuro te qui legis haec, examina teipsum: annon si philosophandum tibi sit, optes te veras per omnia rerum rationes adsequi posse? vt hallucineris nusquam, penetres vbique, peruideasq; omnia quae sunt, ita vt sunt, causasq; cur ita sint, vere? Tum *si religio tibi colenda est; annon verum numen malis quam falsum?* veroque potius quam falso, nihil tibi profuturo, Numen potius contra te irritaturo, colere cultu? denique si *regnandum tibi sit, annon optes securam tibi maiestatem, quietaq; omnia potius, quam turbata?* si talia in te reperis, ex teipso genus humanum aestima; communeque pro communi felicitate votum certo collige. Nam quod tu optare scis, in bonum tibi: non optare non potest sibi quisquis sanae mentis est. Ex te igitur vno desideria cognosce omnium!

Et omnium quaerentium,

9. Sed & circumspecta alios, *pro communi bono communia iam esse omnium studia & conatus videbis*: tametsi, quod iam quaerunt, inuenire nondum sciant. Emicant enim e lucidioribus animis fulgoris diuini reliquiae in nobis scintillulae, confusionumque tenebras discutere magis magisque quaerunt. Quis sperare prohibebit, fore vt tandem e iunctis illis, & in flammam coëuntibus scintillis, ipsa clara scientiae verae, virtutis verae, potentiaeque verae, oriatur lux?

seu lucidam philosophiam,

10. *Quaerunt enim permulti lucem, accenduntque alii post alios variae scientiae lampadas: vt velut infinitas iam habeamus accensas, satisque veritatis luce flammantes, faces.* Modus tantum inueniatur, quomodo faces iungantur omnes, vt ex omnibus lucibus fiat lux vna; lumen erit prorsus magnum.

seu porfectam religionem,

11. Quaerunt alii religionem aliquam perfectam, eoque fine excogitant etiam alias post alias. Si dederit DEVS, vt veram videant omnes (qua grate omnibus colatur omnium DEVS, benedictionemque suam super omnes effundat) non acceptare eam non poterunt. Si (inquam) veram, & vnam solam perfectam, DEVM colendi rationem, videndo videbunt omnes.

seu tranquillam politiam.

12. *Quaerit denique mundus pacem & tranquillitatem, quaerendoque se fatigat, imo conficit.* Omnia enim bella nonnisi pro pace geruntur: dum aut pacatas sibi monarchias, regna, dominia, quaerunt, qui alios bello subiugant; aut sartam tectam libertatem, qui se defendunt: hi & illi vi & armis, dum aliter se & sua tutari non posse confidunt, rem gerentes. Quid ergo si mollioribus viis

DEVS

Digitized by Google

DEVS veram, certam, ſecuram, omnibus communem, oſtendat pacem? non ſperandum vt eam amplexu dignentur omnes, putabimus? Sperabimus certe, fore vt omnes homines incipiant eſſe ſui reges: reges autem regum reges; ſapienter, blande, potenter, DEI loco adminiſtraturi mundum.

Auget ſpem inter ſectas vbique vigens, odium.

13. *Auget redigendi aliquando in harmoniarum mundi ſpem, illud ipſum atrox odium: quo ſeſe inuicem ſectae omnes in religionibus, philoſophiis, politiisque proſequuntur.* Vnde enim illud niſi ex amore vnitatis, veritatis, bonitatis, profluit? Vnitas nempe principium eſt omnis entis: quia partium coadunatione fit, earundemque complexu mutuo conſeruatur. Hinc eſt, quod dum vnitas vera eſt, bene ſibi eſſe ſentit omnis res. Et per conſequens a diſunione quia venit diſtractio, & inde corruptio, prouenit etiam anxietas & dolor. Vnionem ergo quia rumpere videtur, quisquis nobiscum non facit, odio dignus habetur. Sed quamdin non eodem modo res intelligimus, tam diu fieri non poteſt quin quemadmodum intellectu, ita voluntate, & dehinc ſtudiis, ab inuicem abeamus: eoque metus & formidinis, odiorumque & dolorum, alii aliis cauſſa ſimus. Dolorem vero cum fugiat omnis natura, amore autem oblectetur, ſpes eſt vt detectis vnionis verae (& hinc veritatis ac pacis) fundamentis veris, aſſiliant cum gaudio, odiaque mutua in amores mutuos lubentes commutent. Nec aliud reſtat in praeſens, niſi vt impetremus a DEO placidae diſquiſitionis propoſitum, dicentes alii ad alios: *iudicium eligamus nobis, & inter nos videamus; quid ſit melius!* Iob. XXXIV. 4.

Et mundi in vnitatem ſeſe recolligendi ſtudium.

14. Voluntatem itaque in harmoniam redeundi (cum rebus, cum inuicem, cum DEO) ipſi humanae naturae non deeſſe videntes, *hominibus aliquando perſuaderi poſſe vt faciant, ad quod vltro propendent, cur dubitemus?* Praeſertim cum per ipſam quoque rerum naturam id ipſum, quod vt fiat ſuademus, fieri poſſit. *Mundus namque vnus eſt naturaliter; quidni & moraliter ſiat?* Equidem Europa ab Aſia, Aſia ab Africa, Africa ab America; regna item & prouinciae aliae ab aliis, montibus & vallibus, fluuiis & maribus, diſterminantur: vt non omnes commeare queamus ad inuicem. Communis interim mater terra omnes geſtat & nutrit: aer & venti omnes transſpirant & vegetant; idem coelum omnes tegit; idem ſol cum ſideribus reliquis omnes circumeunt, & per vices luſtrant: vt communi habitaculo omnes vti, communique ſpiritu foueri, palam ſit. Conciues igitur vnius mundi cum ſimus omnes, in vnam

Digitized by Google

rempublicam, ſub easdemque leges, coire quid prohibet ? Fuit, cum per agros viuerent diſperſi mortales, a mutuis commerciis ſecluſi: faciebat quisque quod bonum viſum fuit in oculis ſuis. Cogitabat nempe quilibet figmenta ſua, loquebatur quisque idioma ſuum cum ſuis, egit cum ſuis quod voluit: hinc in tantam diuerſitatem abierunt figmenta, linguae, opera mortalium. Sed poſtquam inhabitare oppida & vrbes, colligereque ſe in ſocietates, & colligare legibus coeperunt: coeperunt quoque multa, prius varie diſcerpta, coire. Familiae in ciuitates, ciuitates in regna, regna minora in maiora. Poſtquam igitur vnus ille mundi conditor & dominator, DEVS, in dies mundum ſibi ipſi magis patentem, & vndique peruium, facere non deſiſtit: quid ſperare prohibet fore tandem, vt omnes fiamus vnus, bene ordinatus, iisdemque earundem ſcientiarum, legum, religionisque verae vinculis bene colligatus, coetus ? certe quaecunque ſparſa in numeros, & numeri quicunque ſparſi in ſummas, colligi poſſunt, etiam in ſummarum ſummam venire nihil prohibet.

Et humanae naturae identitas.

15. *Natura etiam humana vna eademque eſt omnibus, quorumcumq; terrae climatum habitatoribus: ſenſuum, ratiocinationis, voluntatis & appetituum, facultatumque operatiuarum, idem apparatus omnibus: res rerumque apparentiae, actiones & paſſiones, eaedem: DEVS idem. Subeſſe & praeeſſe, ordinis cauſa, mos receptus omnibus.* In omnibus autem illis omnes optant idem, nempe optimum. Faeterent profecto omnibus errores omnes, ſi clare ſatis oſtendere ſciremus omnibus veritates omnes. Facteret religio falſa, ſi oſtendere nouerimus veram. Faeterent tyrannis, omnisque violentia, ſi libertatis verae guſtum verum dare poſſemus omnibus. Vt plane nihil reſtet, niſi vt quod volumus & poſſumus omnes, ſciamus quoque omnes.

Et conſideratio diuinae, in bonum tandem exitum omnia diſponentis prouidentiae.

16. Tandem *melioris aliquando rerum ſtatus ſpem fulcit diuinae bonitatis conſideratio:* qui ſibi, non ſatanae, genus humanum condidit: tolerare igitur impoſturas non ſemper poterit. *Et ſapientiae:* quae gradatim opera ſua perficere, aliena deſtruere, gaudet. Perficiet itaque opus ſapientiae ſuae in nobis, deſtruet ſatanae verſutias, ne metuamus. Et quia eſt *optimus*, permittere mala nollet, niſi fine optimo: nempe, vt occaſione mali ſemper emergat aliquid boni, ad ſummum vsque. Sic itaque ille moderabitur omnia, vt fabulam a creaturis ſuis male coeptam (aut certe ſapienter a ſe coeptam, a creaturis irrationabiliter agentibus interturbatam) in optimam deducat cataſtrophen. Eum igitur tam infelici

Digitized by Google

felici mundanae fabulae felicem impositurum catastrophen confidamus?

17. *Praesertim cum se in magnam quandam mutationem euidenter iam disponant omnia.* Nunquam certe ab orbe condito tantus fuit multorum in emendandis rebus feruor, bono cum successu passim: quidni speremus reliqua? vt tandem in conspectum veniat totum, quod a tam diuersis, tam solicite, per partes elaborari curat occulta omnium architectatrix, prouidentia Dei? Non externus sane architectus consiliorum suorum rationem detegere solet operariis: ex partium tamen apparatu de futuri operis magnificentia iudicari solet. Nec igitur nos errauerimus, si sapientissimum DEVM (qui frustra nihil agere potest) spiritum publicum non excitare nisi in vsum publicum, colligerimus: conatibusque piis pro ecclesiae salute, & incrementis gloriae DEI, obstetricaturam ipsam DEI manum.

Et seculi in melius se iam transformantis molimina.

18. *Haec ergo spes si nos habet, eia venturi boni scrutemur vias!* promouendoque commune generis humani bonum, administri simus diuinae bonitatis! Imo vero, si vlla in nobis est numinis veneratio, ea non tam suadere nobis, quam cogere nos debet, vt vindicias gloriae DEI meditari, qua vsquam possibile, non intermittamus. Si non aliud profecturi: certe vt coelum & terram, angelos & homines, DEVMque ipsum, testes habeamus, dolere nobis quod a taxiis nostris paternum eius cor tantopere contristemus, nos miserae creaturae. Eamus itaque, & confringendi compedes satanae, nosque in libertatem ad quam conditi sumus asserendi, modos viasque vestigemus! DEVM, vt veras ostendat, humiliter precati.

Promouendū ergo hoc regenerandi seculi opus animose.

19. Verum enim vero tollendi videntur scrupuli, subnasci hic quibusdam conscientiis (nostrae etiam antehac) soliti. *Tale hoc propositum, emendandi res humanas vniuersaliter, annon supra humanum quid sit? Annon sic temere aliquid ab homine, quod soli DEO relinquendum sit, attententur?* Videndum id est; vt si non prohiberi nos talibus ausis conscientiis nostris patuerit, rem tanto confidentius aggrediamur, ministerialem ea re operam commodaturi DEO: si forsan ea vti, viisque, quas videre dabit sapientia eius, omnipotentia eius explanatis, ad finem tanti desiderii facilius, celeriusque nos promouere bonitati ipsius placeat?

Scrupuli tamē prius tollendi.

I.
An talia tentare homini liceat.

20. *Licere autem nobis salua conscientia, imo per conscientiam nos teneri, emendationis quaerere vias ostendunt sequentia. Primum: in res,* quae

Resp. Licet, (1) Quia in res suas cuiq; ius potestasq; est.

Digitized by Google

quae poteſtati cuiuſque ſubiectae ſunt, ius ſuum vſurpare (h.e. res ſuas ad ſuos vſus accommodare, ſi quid in illis corruptum emendare, & ad quamuis neceſſitatem transformare) *iure naturae cuiuis licet.* At res noſtrae, noſtrae ſunt: non tantum inferiores illae, dominio noſtro ſubiectae: (terra, lapides, metalla, plantae, animalia:) ſed & quae nobis de ſuo liberaliter adiecit creator, *intellectus* veri, *voluntas* boni, proſequendique omnia concupita *facultas*. Omnia inquam noſtra ſunt, nobis data, noſtraeque cuſtodiae concredita. Quae ſi non cuſtodiuimus fideliter, corrumpique ſiuimus, emendare ius fasque eſt: DEO non tantum id non prohibente, ſed congratulante, ſi dona ſua non ſemper a nobis diſpergi, aliquando etiam recolligi, & reuerenter haberi, videat.

(2) Quia deperdita ſua quaerere, prohiberi nemo potuit.

21. *Deinde, deperdita ſua quaerere naturae iure cuiuis licet.* At nobis omnibus deperdita ſunt, *rerum ordo, animorum conſenſio, conſcientiae tranquillitas*: *plerique etiam DEVM, & nos ipſos, adeoque omnia, amiſimus.* An ergo quaerere amiſſa prohibere quisquam poterit? *Res* DEVS nobis creauit; *Nos* nobis ſociauit? *Se* nobis dedit. Eſt autem DEVS quem benignitatis ſuae non poenitet: quia eſſentialiter bonus cum ſit, non mutatur, neque decreta ſua mutat, neque data reuocat, neque cuiquam quidquam ſui negat, ſi ſint qui quaerant, & petant, & pulſent. Quaeramus ergo amiſſa bona! petamus rurſum nobis ob culpas noſtras ſubtracta! pulſemus vt nobis aperiantur occluſa! hac via ituri, obuium certo habebimus DEVM, ſua nobis offerentem, noſtra reddentem!

(3) Quia erroreum agnoſcenti de reditu cogitare integrum eſt.

22. Cogitandum & hoc. *Quicunque de via deerrauerit, redire in viam* (nedum de redeundo cogitare) *non prohibetur, obligatur potius: quo negotium, ob quod viam ingreſſus, maius, eo magis; & quo periculoſiora ſunt illa, in quae incidit, auia.* Atqui nos omnes a rerum luce, a DEO animorum duce, ab angelorum comitatu; interque nos ipſos a concordia, enormiter aberrauimus; inque horrende periculoſa corporis & animae praecipitia prolapſi ſumus. De redeundo igitur cogitationes ſuſcipere, quomodo nos prohibere poſſit benigniſſimus ille DEVS? qui noſtri commiſeratione ipſemet nos inclamat, pericula oſtendit, reuerti iubet, reuertique tergiverſantes variis caſtigationibus ſubmonere non intermittit. (Omnes quippe calamitates vitae, nihil ſunt niſi manus DEI nos errorum admonens.) Niſi ergo erroribus addere volumus blasphemiam, de DEO aliter quam quod velit, optet, offerat, ſalutem noſtram

Digitized by Google

stram, cogitare caueamus: & ad eum a quo aberrauimus, & qui nos flagellis etiam suis ad se reuocat, redire festinemus.

23. Porro, *Quaecunque licet optare & quaerere, eorundem simul rationes, quomodo fiant, intelligere, & vt intelligantur scrutari, licet:* quia DEVS quemadmodum irrationale nihil nobis mandat, ita irrationabiliter nos aliquid operari non postulat, imo non vult. Omnia vero quae vniuersalis lucis beneficio vniuersalem fortitura effectum sperantur, ea sigillatim iam nunc nobis iuncta esse, ac proinde rationes eorum nos intelligere teneri, certum est. Certum ergo etiam, nos iunctorum rationes intelligere non prohiberi. Exempli gratia. *Tenemur nunc iam omnes vera & bona quaeque quemque docere, falsa & praua dedocere, illiusque rei occasiones certas nosse. Quid ergo modum quaerere prohibet, quo omnes, omnibus, omni occasione, vera & bona demonstrare, a falsis & prauis potenter deterrere, valeamus? Tenemur iam nunc Christiani, quisque pro se, regnum Christi ampliari, diaboli destruere: quidni ergo & viam quaerere, quomodo ad idem nobiscum agendum persuadeamus omnes? Tenemur sectari pacem cum omnibus: quidni ergo & alios monstrare pacis omnes, & omnibus si possumus, vias?* Atque si veritati e tenebris eruendae, vel a contradictionibus propugnandae, hactenus liberis ingeniis vacare libuit; quidni veritati erutae, ac defensae, iam etiam per omnia diffundendae vacare liceat? quod si bona pace DEI (qui veritas est, & a nemine veritatem ignorari vult) licet: quidni quoque veritatem sic omnibus in conspectum ponendi quaerere vias? Pendent illa ab inuicem, nec diuelli possunt.

(4) Quia quod optare licet, ambire licet.

24. Summa: *quae extra nos sunt & fiunt, illa sine cura nostra fiunt* (Iob. XXXVIII. 4. 12. 21. &c.) *Quae autem nostrum in vsum destinantur, fiunt & disponuntur non sine nobis.* Ex. gr. Formatio nostri prima in matris vtero sine nobis fieri videtur: nec tamen sine cooperatione spiritus nostri a parentibus in nos transfusi, & in massa sua sese agitantis, habitaculumque sibi efformantis. Dum nascitur infans, DEI & matris opus est: foetum tamen ipsum cooperari, exitumque quaerere & inuenire; obstetricem denique & adstantes, ministrando nihil non agere, oportet. Multo vero magis, quae ad vlteriorem nati formaturam, corporis & animae respectu, requiruntur, humana ope peragi patet. Vita enim ipsa vtut DEI donum est, beneficio tamen alimentorum (ad quae paranda, & reparanda, nostra manu; & ad coctionem viscerum nostrorum operatione, opus est) continuatur. Ægro valetudinem

(5) Quia quae hominibus DEVS dat petentibus quaerentibus, pulsantibus dat.

Digitized by Google

DEVS reſtituit; ſed Medici & medicinae ope. Creato homini ſine homine parauit, quaecunque ad tuendum felicitatis ſtatum erant neceſſaria; ſed mox tueri ſibi ipſemet iuſſus fuit. Noacho interitum effugiendi commonſtrauit medium, Arcam: ſed quam ipſemet ſibi exſtruere neceſſe habuit. Traduxit Iſraelitas per mare rubrum, ſed illos feſtinare per noctem quoque ipſam oportuit. Induxit in promiſſam terram: ſed quem illi hoſtibus eripere neceſſe habuerunt. Dedit Dauidi regnum: ſed pro quo adipiſcendo eum multa prius agere ac pati neceſſe fuit. Miſit euangelium in orbem; ſed deſtinatos ad id apoſtolos, vt conuertendi gentes inſtrumentum eſſent aptum DEO, conuocari, exerceri, praeparari, & inſtrui oportuit: qui ſe ideo *cooperarios DEI* vocabant (2. Cor. III.) Ergo & vltima vniuerſalis euangelii praedicatio, gentiumq; conuerſio, cooperarios requiret. Nuptias parat magnus rex magnas, Filio ſuo: opus ergo non tantum qui exeant inuitatum populos, ſed etiam qui domi apparatum inſtruant, venturos excepturi.

(6) Quia etiam generationem noſtri non ſine cooperatione noſtra perage re ſolenne DEO eſt.

25. Ita ergo *DEVS, quanquam vltimam Eccleſiae propagationem partum ſuum appellat* (Iſ. XLVI, 7. 8. 9.) *media tamen profecto non excludet.* Atque ſi partus, ſeu foetus ille noua ſic luce veſtiendus, nos ipſi ſumus, tempusque παλιγγενεσίας adeſſe ſentimus, connitamur DEO! ſi adminiſtri ſumus eorum qui renaſci debent, obſtetricemur gnauiter; faſcias, cunas, alimenta & fomenta, miniſtrantes alacriter. Ita implebimus voluntatem DEI, qui ſecundum abſolutam potentiam mox primo mundi ſeculo perfectam donare poterat ſapientiam, ſicut & cuiuis recens edito infanti poſſet; ſecundum tamen ordinarium ſapientiae proceſſum nec hoc nec illud fecit; quia ſapientiae eſt *gradatim ire, ſaltum non admittere.* Vnde ſequitur, ſicut hominum ſinguli, DEO quidem ſapientiam non dante, ſapientiam ſibi accipere non poſſunt; ſi tamen cum aetatis proceſſu ſapientiae augmenta volunt, laborem & prudentiam adhibere oportere, non otioſos & inertes, dum per ſomnum influat, exſpectare: ita humanum genus, ſi matura nunc iam aetate matura imbuendum eſt ſapientia, cura omni pro ea re ſolutum ſe non ſomniabit. Expectare enim miracula, quamdiu media (qualia qualia tandem) non deſunt, DEVM tentare eſt.

II. *Annon haec ſupra bires noſtras?*

26. Dixerit quis: *omnipotentiae DEI eſſe opus, non humanae imbecillitatis, omnium conuerſionem moliri?* reſp. DEVS vtique eſt qui operatur omnia in omnibus: ſine quo vt creatura omnis nihil eſt, ita

ita & nihil sine illo potest nisi errare, labi, interire. At constat DEVM ab ipsa prima creatione nihil in creaturis per se immediate agere, omnia per creaturas ipsas; potissimum autem *creaturam quamlibet regere per semetipsam.* Ideo enim cuilibet amorem sui, & sui conseruandi studium, & eo spectantia quaerendi solertiam, indidit. Animalibus certe DEVS dat escam: sed quam quaerere ipsamet necesse habent. Auiculis parat nidos, sed per ipsas auiculas: vulpibus foueas, sed per ipsam, quam vulpinae naturae indidit, solertiam &c. An ergo homini mente sagaci instructo, ad omnia caetera curioso, & cui circa salutis suae curam inprimis vigilanti esse DEVS mandauit, conueniet, vt cura sui a se abiecta DEO insultet? Atqui ordinaria DEI circa hominem prouidentia non aliter se exserit, nisi vt homo Deo fisus mediis vtatur; & mediis vsus, DEO fidat. Licet aegro orare, *Domine sana me*: sed & licet, adeoque necesse est, (nisi tentare velit DEVM) medicamentis vti. Licet orare, *panem nostrum da nobis*: sed & licet, adeoque necesse est (nisi tentas DEVM) pro acquirendo pane laborare. In summa, *omnia vtrumque hoc ostendunt: & hominem nihil posse sine DEO, & DEVM nihil velle sine homine, in iis quae ad hominem*, vt paulo ante dictum. Ne igitur contemnamus consilium DEI aduersus nosmetipsos: sed pro rebus ad salutem necessariis & oremus, & laboremus, gnauiter!

III. *An non extra sphaeram mandatae nobis de nobis solicitudinis?*

27. Posset denuo quis: *vera haec sunt de salute propria, curam sui requiri ab vnoquoque. At pro orbis salute solicitum esse velle non nostrum est; superiorem ista requirunt curam*: quemadmodum prouerbio dicimus, *quisquis pro se, Deus pro omnibus.* Resp. Si vt proverbium hoc modestiae caussa vsurpari videatur; non tamen certe satis pie vsurpatur, hic autem impertinenter. Potius, si DEO omnium cura est, nobis quoque esse debet: quia imago DEI sumus. Accede, qui haec legis ad speculum: imaginem tui videbis talem, qualis ipse es: & hoc idem agentem quod tu agis. Rubes tu? illa quoque. Palles? illa itidem. Auertis te? & illa a te Rides? ridet. Lacrymaris? lacrymatur. Tractas aliquid? & illa. Ponis? illa quoque &c. Hoc tibi documento sit, quid te viui DEI imaginem viuam deceat, o homo! vides illum esse bonum? esse quoque labora. Vides bonitatis suae communicatiuum? esto idem. Vides ad communionem bonorum suorum inuitantem? fac similiter. Vides pro auertenda a creaturis suis pernicie nihil non agentem? tibi idem agendum crede: aut imaginem DEI te non

non esse, sed imaginis cadauer, cogita. Nihil proinde restat, nisi quia DEVS omnium hominum emendationem, eoque salutem, quaerit, vt quaeramus nos quoque, pie, serio, constanter, donec inueniatur.

IV. *Annon arrogans, tam insolens quid tentare?*

28. *Nimium est dicet quis, sapientiam sibi, reformandi totius mundi tribuere?* respondeo. *Omnes hoc faciunt qui in publicum scribunt: modo tantum differimus, & applicatione.* Ex. gr. Qui scribit Logicam, Ethicam, Physicam, Historiam &c. ad quid scribit? an vt lumen inferat mentibus? vtique. Sed quibus mentibus? quibuscunque. Omnibus enim conuenit talia scire, si velint. Vniformes enim sunt hominum mentes: vnam si noris, omnes noris. Ergo *quisquis aliquid sapienter scribit, reuera omnibus scribit. Nos ergo nihil vltra alios, praeter applicandi modum:* quod putemus quaerendas omnino rationes, per quas quicquid DEVS in commune bonum humani generis destinauit, & offert, & quicquid a sapientibus reseratum est, commune fiat. Quid hic insolens?

V. *Annon metus subsit boni, sicut hucusque conatus?* Resp. Non subest, quia causae negati eatenus successus non iam ignorantur.

29. *Ad spem denique tam indulgentiae diuinae, quam boni successus* (si hic gnaui fuerimus) *accedit ipsa causarum* (cur hactenus tentata errorum humanorum remedia parum processerint) *iam tandem diuina bonitate detecta ratio.* Quas si vere deprehenderimus, remedii principium vere in manu habebimus: sicuti medicus vbi morbi radices videt veras, verum opponere se posse morbo pellendo remedium confidit. Quidni ergo confidamus nos quoque errorum posse reperire remedia: si totius mundi, omniumque retro seculorum, erroribus adiuti, non errare tandem didicerimus? videmus certe iam, *vnde aberratum* sit. Videmus ergo simul, quo redeundum sit. Videmus, *quae media hactenus inutiliter fuerint tentata*: videre ergo simul possumus quae amplius non tentari, sed illis opposita, oporteat. *Tandem enim aliquando ad errorum etiam fundum veniri necessum est.*

Cum medicis igitur deprehensa verius morbi causa denuo res aggrediunda.

20. Solent certe medici per ipsos errores, suos & alienos, proficere; vt medicationem hac, illa, ista via non procedere videntes, *aliis tandem, etiam contrariis, tentent idem: atque tum saluberrima saepe reperiunt consilia, quibus vel desperata mala expugnant.* Hoc vt nobis nostro in proposito sperare cum DEO liceat, libeat iam audire, quam pulchrum quiddam, & boni successus praegrandem secum ferens spem, tentandum restet.

CAPUT

CAPUT IX.

Emendationem rerum humanarum tentari oportere, ſi tentanda eſt, viis nondum tentatis, prorſus catholicis: nempe via vnitatis, ſimplicitatis, ſponta-neitatis.

Via emendationis nondum tentata triplex: 1. Vnitatis. 2. Simplicitatis. 3. Spontaneitatis.

IN harmoniam reducendi homines, humanasque res omnes, viam nondum tentatam, eam tamen facilem, amoenam, patentem, oſtendit DEVS triplicem; *viam vnitatis, viam ſimplicitatis, viamque ſpontaneitatis.* Quas ſi recte habuerimus explanatas, illisque inſtiterimus recte, tam impoſſibile videtur omnes nos, & omnia noſtra, non deſideratum illum attingere harmoniae terminum, quam impoſſibile eſt aliquem per viam communem, qua omnes incedunt, euntem, non eodem quo caeteri veniunt venire.

A DEO quidem nobis monſtrata, a nobis vero nunquam ſerio tentata.

2. Fruſtra vero quis ſuſpicetur, aliquid hic viae nouae, aut miraculoſae, iactari. Vetus eſt, generi humano coaeua, & quam DEVS ſemper hominibus oſtendit, eaque in conſpectu noſtro ſemper ipſe vtitur: ſed homines in illa obſeruanda parum attenti, nec viderunt eam diſtincte ſatis, nec ingreſſi vnquam ſunt ex toto, per ſua dilapſi diuerticula. Videamus iſta propius, primum ſingula, mox coniunctim.

Vnum & vnitas quid?

3. *Vnum* vocamus, *quod omnibus ſuis partibus inter ſe connexis ita cohaeret, vt moto ipſo toto, moueantur omnia eius.* Qualiter ſol in coelo vnus eſt, radiis licet infinitis coruſcans. Omnes enim ei cohaerent, mundoque lucem omnes ſimul miniſtrant. *Vnitati huic opponitur multiplicitas*: vbi res diſiunctae ſunt, nec cohaerent, ideo nec ſe mutuo mouent, aut trahunt, aut afficiunt. Qualiter accenſi apud nos ignes per diuerſa loca diuerſi ſunt, nec ſe inuicem participant.

Simplex & ſimplicitas quid?

4. *Simplex* autem vocamus, *quod ex pluribus intra ſe compoſitum non eſt: ideoque ſibi vndique ſimile, ſeipſo contentum, inuariabile.* Vti eſt ſplendor ſolis, a proprio fonte veniens, ideoque inexſtinguibilis. *Compoſitum* contra, in quo ſe plura miſcent: ideoque ſui diſſimile, variabile, inconſtans. Vt flamma ignis noſtri, pinguedine lignorum

Digitized by Google

rum alteriusve materiae sustentata: ideoque seipsa non contenta pabula extra se quaerens, ac per consequens dissipabilis, h.e. exstinguibilis.

Spontaneum & spontaneitas quid?

5. *Spontaneum* denique est, *quod sua sponte, h.e. libere, propriaque inclinatione, aut fit, aut operatur.* Vt cum flamma sursum fertur, radios vero in circuitum eiaculatur. Opponitur huic *coactum*: quod non suo, sed alieno aliquo motu fieri, aliquidue agere, impellitur: vt cum lapis sursum proiicitur.

Ad vnitatem, simplicitatem, spontaneitatemque redire, quid?

6. *Patere iam aliquantulum potest, quid in praesenti proposito per vnitatis, simplicitatis, & spontaneitatis viam intelligamus.* Sensus est: *redeundum nobis esse a multiplicitate, in quam dilapsi sumus, ad vnitatem:* h.e. ab infinitis partium studiis, quibus infinito distrahimur, ad vnam communem communis salutis curam. *Redeundum item a perplexitatibus variis, quibus intricamur, ad concreatam nobis & rebus simplicitatem. A violentiis denique, quibus omnia nostra impleuimus, ad congenitam libertatem.* Certe enim si omnia nostra essent simplicia, sine nodis & tricis; & omnia blanda, ad se vltro inuitantia, sine terriculamentis; & omnia denique in communem vsum directa, vtque possint ab omnibus participari sapienter omnibus attemperata: quam longe alia esset rerum nostrarum facies quis non videt?

Tria hic obseruanda maximi momenti.

7. Plenius tamen explicandum est: *Primum*, quomodo illam vnionem, illam simplicitatem, illamque spontaneitatem, DEVS in nobis & rebus fundauerit: quomodoque exemplis perpetuis, ita esse procedendum, ostendat (a §. 8. ad 18.) *Secundo*, quomodo nos has vias & amiserimus pridem, & in illas regressi non simus hactenus (a §. 19. ad 21.) *Tertio*, quomodo tandem regrediendum sit, si vnquam meliorem rerum statum optamus (a §. 22. ad finem.)

I.
Quomodo tria illa in nobis fundauerit DEVS.

8. *Vnitas, & dehinc vnio & communio, diuinitatis imago est.* DEVS enim vnum quid est, & tamen omnia est: omnia est, & tamen vnum est. Vnum est essentia, omnia virtutibus: quia radices, ideas, virtutes omnium, in se vno continet. Quas cum extra se porrexisset, rerumque omnem multitudinem dispandisset, omnia tamen connexuit ordine vno: vt in toto vniuerso nihil non toti suo cohaereat, illique seruiat. Sed missa nunc machina mundi: quam sibi inuicem ipsos homines adunauerit rerum sator consideremus!

Vnionis in nobis posita fundamenta tria.
1. Habitaculi vnitas.

9. *Fundamenta vniuersalis inter homines vnionis & communionis, vt poneret immota DEVS, haec fecit. Formauit omnes ex vna eademque materia. Impressit omnibus idem eiusdem imaginis suae sigillum. Exstruxit commune omnibus habitaculum, mundum. Substrauit omnibus vnum com-*

Digitized by Google

commune pauimentum, terram. Superſtruxit communi habitaculo commune tectum, coelum. Ad ſuſtentandam vitam ordinauit eadem omnibus media, terrae prouentus. Ad obeundum idonee actiones, praebet omnibus idem lumen: quod in coelo, communi proſpectu, ſuſpenſum, oriri quotidie facit omnibus ſimul, ad vrgendum coniunctim labores; rurſumque abireomnibus ſimul, ad capiendam coniunctim quietem.

2. Stirpis vnitas.

10. *Maioris conſiderationis eſt, quod cum potuiſſet omnes homines creare ſimul, ſicut creauit angelos vnumquemque ſeorſim, ex ſe & ſibi exiſtentem: ille creauit vnicum, tanquam ſtirpem, moxque reliquos, tanquam eiusdem ſtirpis ramos*, ex illa vna radice progerminare iuſſit: apertiſſimo voluntatis ſuae, de arctiſſima inter omnes vnione & communione, indicio. Ita enim *reuera inter nos coniunctiores ſumus, quam angeli inter ſe*: cum illi ſint tanquam diuerſae plantae coeleſtis paradiſi, quaelibet ſeorſim ſtans, ſuis propriis radicibus nixa: nos vt vnius eiusdemque arboris rami, vna radice omnes nixi, ex eaque haurientes vitam & omnia. De eadem enim natura quae primo illi concreata eſt, participamus omnes totam naturam integre: ſicut quilibet arboris ramus, frondes, foliaque ſingula, de tota arboris natura participant. Quae ſanguinis & naturae identitas perfectae cuiusdam neceſſitudinem infert vnionis, & communionis.

3. Diſtantium copulandorum detecta tatio.

11. Accedit: *quod vtut nos creator noſter per faciem terrae diſperſit, montibusque, ſiluis, hominibus, maribus diſterminauit, tranſeus tamen patentes & liberos vbique reliquit*? vt iam in alterum quoq; orbis hemiſphaerium (nauigationis beneficio) aditum patere videamus. *Et licet etiam ſeculorum interuallis nos ab inuicem ſeiunxit* (dum nonniſi alios poſt alios in theatrum prodire, rurſumque in abſconditum redire, voluit.) ſic tamen etiam commercii mutui aperuit viam, ſcripturae beneficio, quo nos neceſſaria quaeque poſteris noſtris tradere; illi vero tanquam nobiscum viuerent noſtra intueri, ſuos in vſus vertere, tandemque ad poſteros rurſum ſuos noſtra illa & ſua transmittere, poſſunt. *Sic DEVS, ecce, qui vnus eſt OMNIA, nos imaginem ſuam OMNES eſſe vult VNVM.* Veniamus ad ſimplicitatem!

Simplicitatis fundamentum in DEO.

12. *Simplicitas veſtigium DEI*, recte dictum eſt. *Ille enim vt in ſe ſimpliciſſimus eſt*, nullisque ex partibus compoſitus (pura potentia, pura ſapientia, pura bonitas) *ita opera eius ſimpliciſſima ſunt, eius & noſtri reſpectu. Ipſius*: nihil enim cogitat, vult, operatur, cum ali-

Digitized by Google

qua difficultate, obſtaculis, niſu, lucta, ſed ſimplici intuitu videt omnia quae ſunt, ſine hallucinatione; ſimplici voluntate vult omnia quae vult, ſine haeſitatione; ſimplici nutu operatur omnia quae operatur, ſine inſtrumentorum apparatu. Ipſe enim ſibi eſt oculus, manus, os, cor, omnia. *Noſtri reſpectu opera DEI ſimplicia ſunt*: quia quas ſemel rebus (ſecundum praeuiſas ab aeterno ideas) impreſſit formas, eas nec tollit nec variat. Eadem ſcilicet eſt natura bouis, aquilae, delphini, pomi, roſae, ferri, auri &c. nunc, quae ab initiô: eadem hic, quae alibi. Tametſi enim in diuerſas ſpecies, ſeu gradus, res diductae ſint: vti tamen diductae ſunt ita manent, ita conſeruantur. Vagum & incertum in operibus DEI nihil inuenit mens humana, tametſi interdum affingat; ſibi ea ratione, non DEO & operibus eius, illudens.

Inde translatum in nos imaginem DEI.

13. Et quia ipſe quoque homo DEI opus eſt, adeoque vltimum, h. e. perfectiſſimum: *certum eſt in homine ſimplicitatis DEI non veſtigium duntaxat, ſed imaginem exſtare, h. e. hominem ita eſſe factum, vt aliunde quam minimum pendeat, ſibi ipſe* poſt (DEVM) *ſufficiens.* Nempe DEVS, vt ſciat aliquid, non opus habet alieno oculo, aure, lingua, h. e. relatione ſeu narratione, ipſe videt omnia. Ergo veriſimile eſt, *hominem quoq; ſic eſſe factum, vt oculum intellectus intra ſe habeat, quo contempletur, & contemplando diiudicet, omnia; non vero iudicio de rebus pendeat aliunde.* Similiter DEVS, vt velit aliquid non opus habet aliena ſuaſione, multo minus mandatis, aut imperio: quia ipſe ſibi & omnibus pondus eſt, ad ea quae vult per ſe inclinat liberrime. Veriſimile igitur eſt *hominem quoque ſic factum, vt quae vult libere velit, cogi nolit, habens ſuas inclinationes, & inſtinctus in ſe, tanquam addita rationali naturae pondera, quae voluntatem ad obiecta ſua trahant.* Denique ſicut DEVS ad edendum opera ſua omnipotentiam ſuam in ſe habet, externis auxiliis non egens: ita veriſimile eſt *homini datas internas vires, quibus ea quae naturae ſuae conueniunt efficiat, h. e. quae intelligit & vult exſequatur.*

Animae noſtrae ſimplicitas ad tria maxima ſufficiens *intellectionem, volitionem, opetionemque* omnium rerum.

14. Et vero *videamus animae noſtrae* (qua potiſſimum homines ſumus) ſtructuram, apparatum illum inueniemus. Conſtat enim anima noſtra *facultate trina, intellectiua, volitiua, poteſtatiua. Facultas intellectiua eſt mens*, internum illud rerum ſpeculum: in quod quicquid per ſenſuũ canales infertur, figitur, ibiq; reſplendet. *Facultas volitiua eſt ipſa voluntas*, intima illa actionum arbitra, libere ſe rebus obuertens aut ab illis auertens. *Facultas poteſtatiua eſt ipſa vis hominis*, ea quae intelligit & vult exſequendi. *Quae tria infinitae ſunt capa-*

Digitized by Google

capacitatis: quia mens infinita cogitare, voluntas infinita appetere, facultas infinita machinari (aliud ex alio) potest, & solet. Tam euidenter trinum infinitudinis suae (omni scientiae, omnivolentiae, omnipotentiaeque) characterem animae nostrae impressit DEVS! Sed & simplicitatis simul, iisdem in rebus. *Ecce enim vnicum mentis speculum omnibus rebus sufficit!* imo quo simplicius, accessoriisque minus oneratum, eo melius & purius. Sicut *& voluntas vna omnibus desiderabilibus*, quae in tempore & aeternitate inueniri possunt, *sufficit*: quoque fuerit simplicior, impertinentibus non distracta, eo melius. Tandem & *facultates naturales omnibus agibilibus sufficiunt*: quo simpliciores & puriores, eo melius. (Nemo enim excogitauerit in aeternum, quomodo melius construi, aut locari, possit hominis oculus, auris, manus, & reliqua omnia.

15. *Non tamen satis visum fuit, virtutibus illis animam instrui: additae sunt normae, seu directoria, intellectum, voluntatem, actionesq; a noxiis erroribus praemunientia.* Nempe, ne intellectus rerum veritatem vestigans a falsis; voluntas rerum bonitatem persequens a malis; vix exsequutiua in opera se effundens a mendis, obruatur; & pro legitimo conceptu, amplexu, effectu, conceptuum, amplexuium, effectuum monstra producat. Habet itaque mens nostra intra semetipsam *dictamina quaedam intima, ceu luces innatas*: secundum quas omnia cogitare celerrime diiudicat, veraque a falsis discernit. Quae quia omni homini insunt, *communes notitiae* dicuntur. Habet & voluntas *dictamina* sua, seu *libramina*, veluti pondera quaedam innata: quibus ad bonum, vbiubi oblatum, mox impellitur, a malo vero repellitur. Haec rursum quia omni homini insunt, *communes instinctus* dicuntur. Habet deniq; vis *exsequutiua sua organa*, sibi & actionibus suis bene proportionata: per quae, quicquid intelligit & vult, scite etiam operari potest. Et haec quia rursum omni homini insunt, *communes facultates* dici merentur.

Additae his normae, communes notitiae, communes instinctus, communesque facultates.

16. *Haec tria sunt simplicissima illa, & tamen sufficientissima, omnis veracratiocinationis, omnis bonae volitionis, omnis efficacis operationis, ab ipso creatore DEO in nobis omnibus posita fundamenta: vniuersalis inter omnes consensus & concordiae, si nos intra concellos nostros contineamus, bases.* Communes enim notitiae ad mensuranda omnia intelligibilia; communes instinctus ad regulanda omnia volibilia; communes facultates ad moderanda omnia agibilia, sufficiunt; *DEO sic hominem ad fines suos sufficientibus instruente mediis.*

Haec tria quia omnibus eodem modo insunt, & ad omnia sufficiunt.

N. B.

Digitized by Google

Vniuersalis igitur emendationis radices intra nos habemus.

17. Vnde duo sequuntur: *primo* de notitiis communibus, tanquam particularum notitiarum normis, recte dixisse Augustinum: *nemo iudicat de illis, sed per illas.* Rectèque de communibus instinctibus dici posse; *nemo instigatur ad illos, sed per illos.* Et de communibus potentiis, seu facultatibus: *nemo parat sibi illas, sed alia per illas. Secundo sequitur*: si omnes *omnia vera vere* iudicaremus *per illa*; & ad *omnia bona bene* instigaremur per illa; eosdem fore omnium hominum de obiectis iisdem sensus, eosdem erga eadem affectus, eadem circa eadem studia: id est, harmoniam inter homines, pacem, & concordiam. Quia DEVS primas illas, puras & simplices, normas similiter indidit omnibus hominibus. Inde enim est, quod *quicquid omnes eodem modo naturaliter sentiunt, indubie verum est. Quicquid omnes eodem modo naturaliter appetunt, indubie bonum est. Ad quicquid omnes naturalia organa habent, indubie possibile est.*

Spontaneitas, seu libertas, diuinus in nobis character.

18. *Veniamus ad spontaneitatem*, de qua merito pronuntiamus magnum illud, *libertas diuinitatis character.* DEVS enim cum superiorem non habeat essentia, nec habet a quo dependeat voluntate. Et quia nec potentior illo est: nec ergo vnde potentia eius ligari aut impediri possit, est. Liber itaque sibi est, facit quicquid vult. *Quem eundem characterem ideo imagini suae, homini, impressit, vt in variis, liberisque illius, tanquam ectypi sui, actionibus, seipsum tanquam archetypum spectaret, oblectationemque haberet.* Subiecit ergo illi omnia: (nempe non creaturas tantum inferiores, sed & corpus proprium, animamque:) *vt in manu sua haberet quid facere vellet, & quomodo: si bene, suo bono; si male, suo malo.* Vt tamen bene cogitare, velle, operari queat, monet eum,, docet, hortatur; sed non cogit. Vt non male, dedocet, dehortatur, deterret, non tamen vi cohibet: quia obsequii spontaneitatem tollere, & arbitrii libertatam semel datam destruere (h. e. ex homine facere non hominem) non vult. Hinc est, quod vbi res male aguntur, culpam a se amouet, irascitur, castigat, punit: (quippe dederat homini, vnde bona velle, vera nosse, facienda posse, posset:) vbi autem bene, hominibus id quoque tribuit, laudat, de re bene gesta gratulatur, praemia promittit, redditque. *Et quemadmodum ipse vim humanae naturae non infert, ita si aliunde inferatur admodum aegre fert.* Quod ex eo patet: quia contra infirmiorum a potentioribus oppressiones tam crebro protestatur, rationabilem & placidam cohabitationem ab omnibus requirens.

19. Ita

Digitized by Google

II. Quomodo aberrauerimus nos omnes.

19. Ita videmus, quam aperte DEVS nobis & actionibus nostris vnitatis, simplicitatis, spontaneitatisque commendet viam! *Sed quam male illa commendata fuerit nobis hactenus, res loquitur. Et primumquidem, quantum ad vnionis & communionis, h. e. vniuersalitatis viam, vix vsquam apud nos satis iusta eius vestigia.* Frustillata & lacera sunt omnia, in doctrinis, religione, rerum & actionum (politico & oeconomico, & quocunque alio) ordine. Vix vsquam satis res cohaerent: vix vllum est regnum, ecclesia, schola, domus, animus, vbi ad instar machinae automatae omnia omnibus tam commensurata sint, vt nil ab aliis impediri, singula singulis iuuari, necesse habeant. Caussa est: *vix vsquam in commune laboramus, partium studia vbique obtinent.* Non opus est gentium, linguarum, religionum, philosophiarum, rerumpublicarum, allegare dissidia; quot capita tot sensus, tot voluntates, tot studia diuersa. Quisque se sapere solum putat (aut si multum praestat, suos,) delirare caeteros. Quisque bene esse vult, & laborat, sibi tantum (aut sane suis:) caeterorum nulla cura. Inuidia potius, & metus, ne quid praeripiant sibi. Praeripit enim quisquis potest: tanquam hic essemus in ludo, vbi in direptionem bona proiiciantur. Imo pro augendis commodis suis nemo vel sanguini alterius parcit: homo hominem, societas societatem, populus populum, depascit ac depraedatur.

1. *Ab vnionis & communionis via.*

2. *A simplicitatis via.*

20. *Aberrauimus & a simplicitatis via enormiter, totum humanum genus.* Quod obseruans Hebraeorum sapiens dixit: *hoc inueni, quod hominem DEVS rectum fecit, sed ipse se infinitis miscuit quaestionibus* (Eccles. VII. 30.) *Nempe non acquieseunt homines a DEO inditis notitiis,* fingunt sibi particularia phantasmata infinita: & dum quisque id quod opinatur esse credit verum, vult alios credere idem: disseminatque opiniones suas, & alius rursum suas! & sic dissensiones dissensionibus cumulantur sine fine. Item, *dum non acquiescunt communibus instinctibus* (h. e. veris illis bonis, ad quae DEVS & conscientia impellunt) fingunt sibi particularia quaedam bona, monstrosissimo saepe appetitu, & plerumque ad interitum intendente: in quibus rursum dissidia & contentiones. (Quia dum ab vno & simplici discceditur, terminos inuenire difficile est.) Denique *dum non acquiescimus mensura viriumnostrarum, faculeatum scilicet a DEO nobis assignatarum, sed tentamus alia quaeuis, secundum phantasmatum deliria: sit, vt temeraria, vana, successu cassa, pleraque mortalium sint conamina.* Ita per deseretionem communis illius,

a DEO

Digitized by Google

a DEO omnibus praescriptae, simplicissimae viae, in multiuia dilapsi, dissensiones experimur mentium, voluntatum, studiorumque & actionum, infinita varietate. *Ita quilibet aedificat minutam suam Babylonem* (quanquam alii aliis maiorem) *omnes autem simul magnam illam*, quae est teterrimarum confusionum abyssus, interminabileque chaos.

3. *A libertatis fia.*

21. Vnde & *libertas amissa: violenter, coacte, seruiliter, plerag; fiunt in scholis, templis, foro.* In scholis certe, & vbicunque docemus alii alios, & discimus alii ab aliis, raro sua sponte influere sentimus rerum intellectum. Quia doctrinae non ex innatis notitiis, per lucis canales rectos, fluunt: sed ex collectis aliunde opinionum lacunis, per methodi durae flexuosos tubos, vi intruduntur. Vnde fit, vt assensum in plerisque nonnisi precario obtineamus, aut suasionibus eliciamus, vel extorqueamus vi, vel denique extundamus minis & plagis: vt se aliquid intelligere, credere, velle, posse, putent aut dicant, qui reuera, si propius inspicias, non intelligunt, non credunt, non volunt, non possunt. Non aliter fere fit in religionis negotio: coacta & dehinc simulata ac fucata, apud plerosque sunt omnia. Res politica quam plena vbique fit violentiae, nullis puto verbis opus esse, clamant omnia.

III. Quomodo redeundum sit eo, vnde aberratum est.

22. *Si ergo redeundum est, ad principia redeundum est: vnde aberrauimus, eo reuertamur! a dispersione ad vnionem; a multiplicitate ad simplicitatem; a violentiis, ad spontaneitatem.* Haec erit *via* vere *regia*, regis regum via: via lucis, pacis & securitatis; *via emendationem rerum tentantibus nondum tentata*, iam autem in sancto DEI nomine omnino tentanda!

Via haec triplex quo sensu nondum tentata dicatur.

23. *Nondum tentatam dixi: quia licet particularia multa pulchre emendentur, hic, illic, isthic; vniuersaliter tamen omnes & omnia emendari nondum est tentatum.* Notiones enim innatae omnes, Instinctus natiui omnes, facultates naturales omnes, in numerum collecta, in ordinem redacta, humanisque cogitationibus, desideriis, actionibus, tabulaturae instar adaptata nondum sunt: nedum vt a supercumulatarum opinionum & errorum colluuie liberata sint. Inde est, quod plerique mortalium intra semetipsos propriasque cogitationes, concupiscentias studiaque & actiones suas, tanquam in densissimis syluis, inperuiisque saltibus, oberrant. (Cultiores viderint, annon & ipsi varios intra se labyrinthos experiantur!) Prorsus huc accommodandum videtur illud Salomonis: *per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti:*

Digitized by Google

& ecce totum repleuerant vrticae, & operuerant superficiem eius spinae, & maceria lapidum destructa erat. (Prouerb. XXIV. 30.) Ecce enim cordis noſtri agellos vndique vrticis, ſpinis, ruderibusque oppletos! o vtinam nobis hic Salomonis ſit mens, qui de ſe ibidem; *quod cum vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam.* Vtinam audiamus conſilium DEI apud prophetam *nouate vobis nouale, & nolite amplius ſerere ſuper ſpinas!* (Ier. IV. v. 3.)

Et quanta boni ſucceſſus ſpe omnino tentanda ſit.

24. *Vrticas itaque noſtras exurendi, ſpinas euellendi, maceriam reparandi, tempus eſſe credamus!* tempus inquam, deſerendi ambages noſtras, infeliciterque pro via publica trita diuerticula! Redeundi autem ad viam vere publicam, regiam, diuinam, ab erroribus nos liberare, ſecurosque praeſtare, ſolam idoneam. *Viam* nempe *vniuerſalitatis, ſimplicitatis, ſpontaneitatis.* Quae ſingula quid requirant, & quam certa verae catholicae rerum emendationis ſpes inde pendeat, & quam praxi facilia haec ſint, quamque nihili ſit quicquid inde metus aut diffidentiae alicui oboriripoſſit, ordine videamus!

Via vniuerſalitatis docebit tria magna.

25. *Via vniuerſalis docebit nos iungere quaecunque iungi poſſunt, ac debent, h. e. OMNIA.* Omnes puta res corruptas, in philoſophia, religione, politia. Et quidem in communem vſum omnium hominum. Sumtisque in auxilium omnibus diuinitus conceſſis mediis; ne eorum quicquam (per ingratitudinem aut incuriam) omittatur. Verbo, OMNIA, OMNIBVS, OMNIMODE.

1. Pro emendationis materia ſumi *OMNIA*: totam ſcilicet corruptelarum maſſam.

26. *OMNIA pro emendationis materia ſumi neceſſe eſt! quia omnia in rebus cohaerent. Non tamen dato vel vno, corruptio ad caetera redibit; & ſic in eadem relabemur ſemper.* vide horologium corruptum, emendandumque. Non prius id recte emendatum dici poterit, quam vſum ſui recte praeſtet. Non autem prius praeſtabit: quam per omnes partes ſui reſtitutum: deficiente, aut vacillante, aut incuruo, vel vno denticulo, motus impedimenta habebit, non procedet. Similiter ſe res habet cum corpore humano morbis affecto, morbisque liberando. Quamdiu non omnia reſtituta, radices morbi ſublatae fuerint, a recidiua ſemper periculum erit: quia pars affecta trahet ſinceram, inficietque denuo. Gaudet enim ſemen in terra relictum, vel reciſae arboris radix quantulacunque fuerint, germinare: & in nouas integras herbas & arbores excreſcere. Semperque res facilius corrumpuntur, quam fiunt. Nec igitur *rerum humanarum corruptelas* (quae licet ſint multae, vnum tamen corpus faciunt) integre poſſe reſtitui

Digitized by Google

ipes sit, nisi omnia quae corrupta sunt, ad radices vsq; restituantur.

2. *OMNES*: totum scilicet humanum genus.

27. *Sed & necesse, omnia restitui in* OMNIBVS: *quia omnes homines itidem vnum corpus sumus, per omnia sui membra cohaerens.* Iam autem vidimus, non restituto integritati vel vno membro, caeteris esse periculum. Ideo Medici cum vlceribus totum scatens, aut phthisicum aut hydropicum, vel febricitans, ante se habent corpus, non naso aut pedi applicant emplastrum; sed indunt medicinam corpori, vnde vis eius per omnes corporis, partes sese diffundens humores noxios vndique pellendi, vitales contra potentias (compedibus liberatas) vbique se recolligendi, & naturae vigorem reparandi, vias inueniat. Pariter igitur cum *totum humanae societatis corpus* laborat, frustra reparationem a reparata parte aliqua speres: quia nec procedit medicatio, vicinis membris nouum semper contagii virus affundentibus; nec si procedere videatur, diuturnum esse potest, quando corpora corporibus miscentur mortua viuis: membra scilicet morbida sanis.

(Particularitatis studium aeterna confusionum basis.)

28. Attendatur & hoc! prima primo homini corruptionis origo non alia fuit, quam quod communi fonte relicto, ad priuatam sui curam se conuertit. *Nec aliae hucusque corruptelarum, siue causa siue occasio, vnquam deprehenditur, quam infelix particularitatis studium: Dum non communi saluti operam damus, sed sibi quisque. Nec ex toto nobis etiam prospicimus, vt vndique, solida sint omnia nostra: sed fruſtillatim alius in hoc, alius in illud, exardet, aliorum magis forte necessariorum oblitus,* Ita discerpta sunt omnia, imo confusa: praemiaque particularitatis nostrae referimus *iurgia aeterna, cum inuicem, & secum quisque, & cum DEO.* Qui cum sit omnia, & crearit omnia, & amet curetque omnia; partialitatem non odisse, non punire, non potest. Hinc dum Nimrod regnare quaerit solus, sibique aedificat Babylonem, confusio fit linguarum & gentium. Dum philosophi sapere volunt quisque sibi, supra alios & contra alios, ruunt in contradictiones; fitque confusio sensuum & mentium. Et dum religio quaedam regnare vult sola, fiunt odia, contemtus, & dehinc aut persecutiones & lanienae, aut profanitas & atheismus. Ita dum se reformat vna schola, ecclesia, genus, sine altera, non procedit, corruptelae redeunt: quia vnum corporis membrum sine caeteris nunquam vere vigescit. *Pereat itaque partialitas in omnibus vbiq;, vt redeat vniuersalitas (verus catholicismus) in omnibus denique.*

3. *OMNIMODE*: toto scilicet auxiliorum apparatu.

29. *Opus denique emendationem vrgeri OMNIMODE: mediis scilicet in auxilium assumptis, quaecunque DEVS ostendit, omnibus.* Illa quippe

Digitized by Google

pe demum ſimul ſumpta dare poterunt emendationi fundamentum tam vniuerſale, vt omnibus ſuperſtruendis; & tam firmum, vt omnibus ſuſtinendis, ſufficere valeat. Quale habitationis hic omnium noſtrum fundamentum habemus, terram; ex qua nemo poteſt aufugere, terminis eius incluſus: nec prolabi, firmiter ab illa ſuſtentatus. Secure non tantum per illam ambulamus, ſed & illi domos, turres, vrbes, ſuperaedificamus. *Simile* ergo *quaeramus noſtro huic propoſito fundamentum; tam vniuerſale, vt nihil effugere, tam firmum, vt nihil non ſuperaedificari, poſſit.* Niſi enim aliquando ad tam ſtabiles, aeternas, inuariabilesque rationes nos & noſtra omnia redegerimus, nunquam veniemus in conſenſum, diſſidebimus ſemper: quo magis diſputabimus & litigabimus, eo magis. Quia ingenium, voluntas, facultatesque omnes hominis, infiniti imaginem in ſe habentes, per infinita errant, niſi immobilibus affixa Nec vnquam quicquam apud nos ipſos ſtabile erit: mutabimur ſemper, & nobiscum omnia noſtra, opiniones, ſtudia, actiones, vti hactenus. Penelopes tela erunt omnia: quam alter texet, alter retexet. Imo idem ille ſuam telam (vt Penelope) interdiu texet, noctu retexet.

30. Si quis cogitat, *nimia hic proponi, & impoſſibilia:* reſpondetur, *Non poſſibilitatem tantum his propoſitis ſubeſſe, ſed & facilitatem; maiorem quam cum res, homines, media, fruſtillatim ſumuntur.* Demonſtrandum id eſt, naturae & artis exemplis. Sol, quando terrae habitatoribus ad labores lumine opus eſt, non particulariter ad hanc vel illam prouinciam, vrbem, agrum, hortum, radios extendit: ſed ſe eodem tempore omnibus ſimul eleuat, aſcendensque in altum e ſublimi intuetur omnes, miniſtratque lumen, calorem, vitam, omnibus: vt ſe nec abſcondere, nec rurſum de ſui neglectu conqueri, quicquam poſſit. Similiter cum opus eſt nocte, aeſtate, hyeme, pluuia, vento &c. ſimul illa miniſtrantur eiusdem plagae habitatoribus. *Confuſionis, iraeque DEI ſignum eſt, ſi quando ſuper vnam ciuitatem pluit, ſuper aliam non pluit,* (Amos IV.7.) Similes ſunt alibi naturae proceſſus, quos ars recte paſſim imitatur: cur ergo non hic etiam? nempe facilius arborator efficit vegetam, formoſam, foecundam, arborem totam, ſi prouide plantet, rigет, curetque totam: quam ſi partem duntaxat. Tum ſi marcere incipit arbor, facilius decorticatam totam, radicibusque ex toto circumfoſſam & ſtercoratam reſtituet: quam ſi reſtituere veliet, aut retinere in vigore, partem eius aliquam. At nos omnes ſtirps vna ſumus

Obi. *Via haec fortaſſe impoſſibilis?* Reſp. *Imo & facilis.* Quod oſtendunt 1. Naturae & artis exempla.

Digitized by Google

ſumus, corruptionumque noſtrarum omnis propago ab iisdem radicibus venit. Facilius item medicus reſtituit corpus totum, ſi morbidum ſit totum, procedendo catholice; quam ſi partem duntaxat curare velit vnam empirice. Facilius itaq; ſpiritualem quoq; medicinam catholicam, catholico morbo oppoſitam operaturam, ſpes ſit, propinatam toti gentis humanae corpori, quam ſeorſim.

e. Naturae humanae identitas.

31. *Tollit quoque impoſſibilitatis imaginationem identitatis naturae conſideratio. Homines enim multi: ſed natura humana vna. Vnum ſi noris, omnes noris: vnum ſi docere, curare, regere ſcieris, omnes ſcieris.* Nam quod vnus vult, volunt omnes: eſſe, ſeu viuere; habere, ſeu poſſidere; ſcire aliquid, & poſſe aliquid. Imo multum poſſidere, ſcire, poſſe, & quidem vere poſſidere, vere ſcire, vere poſſe: quia falli nemo vult, cur enim velit? Id quod ab hac radice venit, quod quisque hominum ſeipſum amat, ſibique bene eſſe optat, & miſerias refugit. Et quidem optat vere bene eſſe: ſi quando ſecus eligit, errore deceptus eligit. Et optat totaliter ſibi bene eſſe, hinc ſalutem ſui totius partis iactura, ſi aliter nequeat, redimit. Et quidem optat ſine fine eſſe: hinc mortem, tanquam ſui deſtructiuam, horret. Hinc poſt mortem ſi quid reſtat, beatum eſſe optat. In ſumma, non beatus fieri nemo deſiderare poteſt: vsque adeo, vt etiam qui mortem cupiunt, aut etiam ipſi ſibi inferunt, id amore ſui faciant, ſc. mali alicuius impatientia, vt eius inueniant finem. Ita ergo *inſtinctus omnium hominum eodem tendunt*: ſi modo vias noſſent omnes. *Innatarum notionum ſimilis eſt ratio.* Quod vnus natura magiſtra nouit, nouit & alter. Ex. gr. *Totum eſſe maius ſua parte: bis bina eſſe quatuor: ſi aequalibus addas inaequalia, reliqua erunt inaequalia, &c.* Et talium multa millia: quae ſe inter cogitationes de rebus, tanquam recti iudicii neceſſariae normae, vltro offerunt. *Nec aliter comparatum eſt cum facultatibus naturalibus.* Quod poteſt vnus, poſſunt omnes: res videre, guſtare, palpare, proſequi, aſſequi, in ſuos conuertere vſus, mille modis. (Gradus enim ſolum variant, & occaſiones, non res ipſae.) Id quod inde eſt: quia ſimilem membrorum & facultatum apparatum habent omnes, intus & extra. *Nempe quia finem eſſe ſine mediis ad finem, vel rurſus media ſine fine, nec DEVS patitur, nec ipſa rerum natura.* Omnem itaque hominem natum, natura humana inſtrui oportuit: rurſumque omnem natura humana dotatum, ad naturae humanae munia rite obeunda facultatibus inſtrui, neceſſe fuit. Haec de vniuerſalitatis via.

32. *Via*

Digitized by Google

Via ſimplicitatis docebit breuiſſimam ſapientiae compendia.

32. *Via SIMPLICITATIS*, docebit nos, *nolle ſapere vltra quam ſapere nos vult DEVS: nolle cupere vltra illa bona quae offert DEVS: nolle agere vltra ea, ad quae agendum conſtituit nos DEVS.* Hoc erit redire nos ad principia: eo ſcilicet vbi non diſſentimus, nec erroris periculum eſt: quia pura, clara, certa, tuta ſunt omnia. Nempe ſi conſtitutum fuerit, (id quod naturalis ratio ſuadet) *nihil a quoquam praeciſe affirmari, niſi euidenter verum: nihil negari, niſi euidenter falſum; de caeteris (ἐπέχειν) aſſenſum ſuſpendi.* Item, *nihil abſolute approbari, niſi manifeſte bonum: nihil reprobari, niſi manifeſte malum; caetera in medio relinqui.* Denique, *nihil quenquam conari, niſi prius rei neceſsitate, poſsibilitate, facilitate, recte perſpecta: nihil non conari* (in rebus neceſſario requiſitis) *niſi impoſsibilitatis aut difficultatis clare perſpectis obicibus*; caetera haberi indifferenter. Haec ſi recte ſeruentur ab omnibus, annon ad ſapientiam, prudentiam, omnesque virtutes, ſimpliciſſima foret via? (Poſtulata)

Sola ſimplicitas omnium confuſionum antidotum ſufficiens.

33. *Atque tali via opus eſt, ſi perplexitatibus noſtris aliquando inueniendus eſt exitus.* Vt a circumferentiis, per quas diſperſi ſumus, in centra nos recolligamus. *Tum demum aliquid intellecturi, ſi nos prius: & ſubacturi nobis alia, ſi prius nos ipſos: & habituri a rebus ſecuritatem, ſi a nobis ipſis prius.* Certe arbor etiam ſtabilitatis ſuae (aduerſus ventorum impetus, & ſolis ardores, aliasque iniurias) in radice quaerit ſecuritatem; deſectaque e radice ſeipſam reſuſcitat. Medici autem in deſperatiſſimis morbis (vbi medicinae, etiam compoſitiſſimae, nihil proficiunt) ad ſimpliciſſimum diaetae praeſidium refugiunt. Indicitur ſcilicet aegro ſola temperantia, reliqua permittuntur naturae, h. e. per ſimplices naturae vias operanti DEO; admirando ſaepe ſucceſſu. Poſtquam igitur ad morbos generis humani loco mouendos multipliciter commixta illa & violenta remedia (adinuentae humanitus, & in immenſum cumulatae opiniones, leges, ritus, diſputationes, ſubtilitates; tum & rixae, odia, bella, caedes & clades) nihil profuere: *ſimpliciſsimum hoc remedium, contemperatam ſcilicet ex ſolis communibus inſtinctibus, notitiis, facultatibus, diaetam experiri quid vetat?* Multa ſub eſt ſpes! quia prouidentia DEI venenis noſtris antidota (quod millies ingeminandum) vbique in proximo poſuit. *Vnde pernicies, inde ſalus. In inſtinctibus, notitiis, facultatibusque depranatis, tota corruptio noſtra: in rectificatis ergo inſtinctibus, notitiis, facultatibus, tota rurſum ſalutis ſpes.* Non ſecus ac in corpore noſtro a tartaro impuro omnes fere morbi; a tartaro depurato eorundem omnium remedia.

Digitized by Google

Via ſpontaneitatis emendationem promittit certam.

34. *Via* SPONTANEITATIS, obtinere quaerit, *vt homines vera noſſe, bona velle, faciendaque facere, vltro appetant.* Quod fieri non poteſt, niſi retectis in conſpectu mentis rerum rationibus : vt quid vere certum aut incertum, bonum aut malum, poſſibile aut impoſſibile ſit, clare peruidendo , ipſam hanc mentis lucem, blandum omnium agendorum omittendorumue ducem, intra ſeipſos habent, eoque cum lubentia ſequantur. Vere enim Salomon : *dulce eſt lumen & delectabile oculis,* (Eccl. XI. 7.) Vt ergo caecus duce opus habeat (quem tamen nec ipſum ſine metu trepidationeque ſequi poteſt) certe qui oculis lumen, & in lumine ante ſe viam , ipſe videt, alio duce non eget: vltro pergit laetus, ſuique ſecurus. Ita prorſus interne caecus, rationes rerum ignorans, vt agat quod cur fieri neceſſe ſit non intelligit, *cogendus eſt & impellendus.* Qui ipſe videt, videre ſe gaudet : proque adipiſcendo vero bono , vel auertendo vero malo, quicquid expedire iudicat facit. Senſus ergo eſt: *emendationem rerum non proceſſuram , ſi non quicquid violentum eſt in rebus humanis, ſublatum fuerit. Nec violentias tolli poſſe, niſi reſtituta hominibus libertate, qua eos donauit rerum conditor. Reſtitui vero hanc prius non poſſe , quam ſublatae fuerint ab oculis tenebrae : in quibus quam diu ſunt, ſibi permitti non poſſunt.*

Citra ſpontaneitatem impetratam nihil vnquam procedet.

35. Quicquid ergo pro emendatione rerum humanarum vnquam tentatum eſt, vel adhuc tentari queat, niſi acceſſerit (vnde tandem obuentura) illâ de qua loquimur ſpontaneitas , omnia fruſtra erunt. *Componatur ex vniuerſalitate & ſimplicitate quicquid concinniſſimum excogitari poterit : ſine addita tamen ſpontaneitate, inutilis erit machina, cui ſcilicet anima motuque defuerit.* Perinde ac ſi ad profectionem paratum habeas currum, & in illo omnia ; nullos autem praeiunctos equos. Aut paratam ad nauigandum triremem ; nullum autem ventum, aut remiges. Aut artificioſe conſtructum automaton ; ſed illi appenſa pondera nulla.

Spontaneitatem ad bona impetrare, an poſſibile?

36. Queritur autem : *an ab hominibus talem ad res bonas ſpontaneitatem obtinere poſſibile ſit?* Reſp. Si perſtat , *inſtinctus naturales omnibus ineſſe* , plane poſſibile eſt vt omnes ſponte quod agendum eſt agant. *Inſtinctum* enim *obiectum adaequatum eſt bonum:* ad quod non vltro ferri impoſſibile , per omnes facultatum differentias. Offer alicui videndum quod videre deſiderat : non obuertere oculos non poterit. Da auribus obiecta ſua grata, da palato , da ventriculo, da animo , da voluntati: vltro aſſilient. *Cuilibet facultati obiectum ſuum*

Digitized by Google

ſuum illecebra eſt, pabulum eſt; non obuertere ſe illi ſponte ſua, non delectari illo, non poteſt. Modus tantum tenendus, ne quid intempeſtiuè, ne quid nimis: alias ſuauiſſima etiam nauſeam parient.

37. De trina illa via obſeruandum tandem eſt, *ſimplicitatem rebus emendandis ponere fundamentum; ſpontaneitatem emendatis imponere faſtigium.* Nam quaecunque corrupta reſtituuntur, reductione ad principia reſtituuutur: iuxta illud Chriſti abuſus emendantis, *ab initio non fuit ſic.* Iam autem *principia annon propter ſimplicitatem ſuam principia ſunt?* vtique. Et quia ſimplicibus, varie componibilibus, quiduis ſurgere poteſt: patet e ſimplicitate immediate fluere vniuerſalitatem, etiam in illa quam intendimus rerum humanarum reſtitutione. *Simpliciſſima enim omnes habent, ſciunt, poſſunt*: aut certe oblata non acceptare, non ſcire, non poſſe, non poſſunt. *Vnde* demum *ſpontaneitas ſequitur*: quia ſeipſum ſequi, ſi ſe duce progredi poſſe videat, nemo non poteſt: cum ſui iuris eſſe velle, innatum ſit omnibus, & naturae humanae inſeparabile. Et quia *quicquid omnes volunt, indubie bonum eſt; quicquid omnes intelligunt, indubie verum eſt; quicquid omnes poſſunt indubie facile eſt*: patet quam certa conſenſus tandem aliquando vniuerſalis via ſit, dummodo placeret ille ad principia illa nobiscum nata, (inſtinctus communes, notiones communes, facultatesque communes) regreſſus. Et quam certae ſpei (de deſerendis tandem non inuito aliquando ſubingreſſis, & in tantum vbique cumulatis, tricis & ſpinis) hic certum ſit fundamentum.

Iunctam tamen vniuerſalitati, & ſpontaneitati.

38. *Ergone ad deſtructionem hodiernarum philoſophiarum, religionum, politiarum, tendit noua haec via?* dicit aliquis. Reſp. *Via haec nihil abolere, omnia perficere, quaerit.* Nempe quod vulgaribus intricatis viis aſſequi non licuit, ſimpliciore hac vt liceat. Quid iſthuc? *veritatum, bonitatum, ſtudiorum, coadunatio.* Quaeſo enim conſideretur hoc. *Stulte aliquid opinari, nulla ex profeſſo docet philoſophia: impie agere, nulla religio: res humanas turbare, nulla politia. Et tamen alii alios ſtultarum opinionum inſimulamus, blaſphemiarum accuſamus violentiarum arguimus: nec vane.* Reperiuntur enim verae abſurditates, verae impietates, verae tyrannides: quia ſe, nolentibus etiam nobis, intermiſcent veris falſa, bonis mala, pacisque ſtudiis turbae. Hoc igitur quod ſe impertinenter admiſcet, ſeparandi modus quaeritur: quem in ſacra illa *inſtinctuum, notitiarum, facultatumque ſuppellectile* inuentum iri, omnia ſpem faciunt. Nempe

Obi. *Haec via, annon ad receptorum iam deſtructionem tendit?* Reſp. *Ad perfectionem.*

ſi

Digitized by Google

si *notitias communes* a subingressa confusione haberemus extricatas, haberemus lampadas, ad omnem rerum cognitionem clare nobis praelucentes: intelligeremusque nos omnes per omnia. Siq; *instinctus communes*, desideriorumque leges recte intelligeremus, & a spuriis sese intermiscentibus liberare sciremus: haberemus ad beatos fines (communes & priuatos) instinctuum satis: conueniremusque voluntatibus belle, nec bellis esset opus. Denique, si *facultates communes* distincte cognitas, & ab admista confusione liberatas haberemus omnes, possemus omnia omnes, quae nos posse voluit DEVS. *Ex his ergo simplicibus, planis, certis, si construerentur* (praeeunte DEO) *sciendorum, eligendorum, agendorumque syntagmata: quid est, cur aliquis suae philosophiae, suae religionis, suae politiae, metuat?* cum scilicet hic veri, boni tranquilli, perire queat nihil: colligi tantum, & in communem thesaurum comportari, debeat.

2. Obi. *Recepta tamen circumriderentur.* Resp. *Vtique a superfluis.*

36. Oggeri adhuc posset. Sed *sic in angustos redigeretur terminos philosophia, religio, politicaque scientia nostra.* Resp. DEVS quid nobis ad sapienter, bene, beateque viuendum satis sit, ignorare non potuit: huius ductui acquiescere tutissimum. *Praestat insistere certis, quam litigare de incertis: & ire per viam communem, errorum securam, quam aberrare per diuerticula intuta.* Si ergo *philosophia simplicior*; modo rebus, ingeniisque modestis, satisfaciat. Sit ergo *religio simplicior*, modo satisfaciat DEO simplicitatis fonti, conscientiisque rectis. Sit & *politia simplicior*; modo satisfaciat fini suo, vt in pace seruetur humanum genus.

Conclusio capitis.

40. Ita nobis vniuersalitatis, simplicitatis, spontaneitatisq; viam satis fore sperabimus commendatam, vt illi nunc iam insistere incipiamus omnes: quum ad tam vniuersalem intentionem nihil particulare sufficere; ad tantas dissoluendam tricas nihil multiplex & intricatum idoneum esse; ad tantas mitigandum exacerbationes, tollendumque violentias, nihil praeterspontaneum consensum vim habiturum, nimis sit in aperto.

CAPVT

CAPUT X.

Consultationis legitimae forma legesq; ad quas magna haec consultatio attemperanda erit.

OMne opus, quod rationabiliter suscipiendum est, praecedit *consilium*: aut, si negotium fuerit momenti maioris, & ad plures spectans, *consultatio*: h. e. consiliorum plurium, donec pateat optimum, collatio. At nobis esse sub manu *negotium maius ac vllum sub sole, iam cognouimus: quippe & omnes, & omnia, & omnimode, concernens.* *Consultatione igitur opus omnino*: at quali? *constituamus nobis quaeso consultandi leges certas: vt ne quid interueniat, quod opus coeptum turbet, vel abrumpat, vel sine vsu esse faciat.* Ante opus, consilio opus, aut consultatione.

2. Leges vero istas non aliunde quam a sapienter instituendae consultationis Idea, rectèque deprehensis ibi requisitis peti possunt. Ne igitur subsistere, & rem hanc circumspecta mentis indagine scrutari pigeat, obsecro. Consultationis leges vnde petendae.

3. *Consultare, est de re quapiam optata, sed difficultatibus implicata, an quaerenda* sit, & *per quid* inueniri, *quomodoue* facile obtineri possit, *inter plures amica & prudens disquisitio.* Consultare quid.

4. Concurrunt itaque in omni consultatione tria: Concurrentia in consultatione tria.

(1) *Propositum*: res aliqua vtilis, sed ob interuenientes scrupulos, aut impedimenta, dubia.

(2) *Personae plures*, eadem inter se agitantes.

(3) *Placida & prudens in omnia quae obueniunt inquisitio*, donec omnibus videatur idem. Tum enim cessat *consultatio*, incipit *exsequutio.*

5. Materiam consultationi dare dixi rem aliquam vtilem, sed dubiam: nec enim aliter potest. Nam (1) Materia consultationis.

Axioma) I. *De nihilo consultatio est nulla.*

II. *De re inutili consultatio est stulta.*

III. *De re certa consultatio est otiosa.*

(Si nempe constet aliquid esse nihil; esse inutile; esse certum.)

6. *Personae requiruntur plures necessario*: vt sit (1) *qui casum proponat*, consiliumque exquirat. (2) *Qui consilium expromat.* (3) Qui rursum ventilet, donec euentilatis omnibus certi aliquid constituatur. (2) Personae plures.

Digitized by Google

atur. Praeſertim ſi plures ſint conſulentes, aut conſulti, aut etiam conſilia ipſa: quorum nullum relinquendum eſt inexpenſum. Vnde axiomatum inſtar haberi poſſunt iſta:

VI. *Nemine conſilium requirente, conſultatio non inchoat.*

V. *Nemine conſilium expromente, conſultatio non procedit.*

VI. *Nemine conſilium terminante, conſultatio non abſoluitur.*

(3) Modus obſeruandus trinus. Nempe vt excutiantur.

7. *Conſultationis modus* in eo eſt, vt diſquiſitio fiat (1) *in omnia quae interueniunt*, (2) *placide*, (3) *prudenter.*

1. Omnia quae ad rem.

8. *In omnia:* nempe (1) in *ſcopum* conſultationis: vt pateat *quid optetur*? (2) *in media: per quae* ſcopum nos aſſequi poſſe *ſperetur*? (3) in *modos*:: quibus media iam inuenta adhiberi poſſint recte. Horum quicquid inuenitur & profertur, ventilandum eſt, *an* ita recte? & *quare*? donec *finis optati vtilitas*, & *mediorum repertorum poſſibilitas, modique agendi facilitas*, omnibus pateſcat; nec reſtet cui videatur aliter. Ergo

Ax. VII. *Conſultantes neceſſe eſt conueniant ſcopo.*

(Inter enim diuerſa volentes conſultatio nulla: ſicut inter diuerſa loca petentes, comitatus nullus.)

VIII. *Conſultantes mediis conuenire neceſſe eſt.*

(Niſi enim de mediis fuerit conuentum, conſultatio diſſoluetur: vt ſi viatorum alius velit terra, alius aqua: hic pedibus, ille curru &c. diuelluntur neceſſario.)

IX. *Conſultantes conueniant neceſſe eſt de modis quoque agendi.*

(Nam ſi alius ſic, alius aliter, rem inchoari, & continuari volet, nec inchoari, nec continuari poterit: erunt cum finis, tum media quantumcunque ille deſiderabilis, & haec certa, ſine vſu.)

2. Amice ac placide.

9. Additur, requiri conſultando *diſquiſitionem amicam, & placidam.*

10. *Amicam*: quia inimici, quatenus inimici, non conſultant, ſed rixantur.

X. *Conſultantes amici ſint, & amice agant, neceſſe eſt.*

11. *Placida* diſquiſitione opus eſt: quia inter amicos etiam diſquiſitio, quoties vehemens eſſe incipit & impetuoſa, altercatio fit & contentio; raro vtilis, bonumue ſortiens effectum

XI. *Conſultantes lente ac placide procedant.*

(Affectus enim, quia miniſtri ſunt non intellectus, ſed voluntatis; neque hoc ſimpliciter, ſed in ordine ad actiones, tanquam illarum ſtimuli, & ſic medium quid inter voluntatem & facultatem: ca-

ven-

Digitized by Google

vendum est ne in deliberando, vbi rerum pondera expendi debent, adhibeatur affectuum concitatio. Seruandum id est ad extremum, vbi inuentorum iam consiliorum vrgenda est exsequutio. Sancti igitur consultoris non est accendere affectus (praesertim tristes illos, metum, iram, odium) sedare potius ac placare. Nemo sanus libens bibit aquam turbidam, ni eam prius sinat quiescendo fieri limpidam. Ita ergo nec animo vtendum ad consilia commoto: *impedit ira animum, ne possit cernere verum.* Amor autem sui & suorum, vt & odium alienae causae, prauum sunt perspicilium, res vltra verum augens aut minuens, alioue situ, figura, colore, quam sunt, ostentans.)

12. *Prudentia* denique requiritur in consultantibus: *tum scilicet in consilium requirente, quam dante, & ventilante.* 3. Prudenter.

13. In consilium requirente prudentia requiritur, vt *quid velit, & vbi* circa rem illam *haereat*, *& quid eum haerere faciat*, exponat. Idque *sincere* quantumque potest, *breuiter*, ac *dilucide*: vt is a quo consilium petitur, dextre omnia percipiat. Prudentia in consilium requirente qualis requiratur,

XII. *Consilium requirens rem recte proponat.*

XIII. *Scrupulos circa eam suos detegat.*

XIV. *Scrupulorumque simul causas explicet.*

(Alioqui manca & obscura consultatio, mancum & obscurum pariet consilium.)

14. *In consilium dante requiritur*, (1) *vt omnia plane percipiat*, (2) *rerum momenta recte expendat*, (3) *quicquid optimum apud se inuenit, sincere aperiat.* *Primum* illud requirit hominem attentum & diligentem, qui *hoc agat.* *Secundum*, fundamenta rerum intelligentem aut certe in ea circumspecte inquirentem. *Tertium*, virum bonum, qui etiam inimico fidele det consilium. Et qualis in consilium dante.

XV. *Quaestionis statu non percepto, consilium est temerarium.*

XVI. *Rei fundamenta ignorantis solutio est dubia.*

XVII. *Subdola controuersiae decisio est impia, & in DEVM, veritatis authorem, blasphema.*

(Consilium enim res sacra est, venerabiliter tractanda.)

15. In consilium ventilante requiritur, vt expendat (1) *an verus scopus petatur?* (2) *an media, quae ostenduntur, eum recte petant? an adhibendi media illa praxis ostendatur facilis?* Potest enim fieri vt aliquid bonum suadeatur, nec tamen ad consulentis mentem: potest vt media bona sint, sed ad obtinendum aliud quid, quam in praesens Qualis deniq; in consilium ventilante.

Digitized by Google

sens petitur: potest, vt ad hoc ipsum bona sint, sed vsurpatu difficilia. Quod faciet, vt consilium videatur impossibile: quia difficilia pro impossibilibus habentur. Ergo

XVIII. *Consilium an verum petat scopum, vide.*

XIX. *Media num scopum attingant certo, obserua.*

XX. *Modus agendi an sit facilis, expende.*

Quo maior consultantium numerus, eo maiori prudentia opus.

16. Quod si ad quampiam consultationem plurimos contingat vocari, aut venire, prudentia noua erit opus

(1) *Vt desideria sua explicare nemini non permittatur.*

(2) *Vt a sententia dicenda nemo excludatur, nedum pellatur.*

(3) *Vt nihil nisi communi omnium consensu decernatur atque concludatur.*

Puta, vbi iis qui conueniunt idem ius est in res, quorum causa in deliberationem conueniunt. *Tum demum enim consultatio esse poterit & plena, & facilis, & solida; si nihil nisi omnibus consentientibus & proponatur, & tractetur, & concludatur.* Modo ad easdem communes leges (nempe, vt *semper primo de fine, tum de mediis tandem de mediorum prudenti vsu*, agatur.) Suam aliis sententiam tanquam oraculum obtrudere, nemini liceat: audire prius aliorum & sententias & rationes, omnes parati sint. Etenim hae si concordabunt, firmior prodibit conclusio: si discordabunt, melius expendendi omnia, donec pateat aliquid optimum, occasio erit. Sententiarum quippe & rationum diuersitas, semper materiam fert solidius aliquid & quaerendi, & inueniendi, quod nemine contradicente concludi possit. Ergo

(NB. Consultandi methodus perpetua.)

XXI. *Ad consultandū congressi propositiones habeant communes.*

XXII. *Quorum propositiones sunt communes, communes sint & sententiae, ac ratines.*

XXIII. *Quorum sunt communes sententiae, eorundem sint & conclusiones communes.*

Quippe tum demum exsequutio quoque esse poterit vnanimis: de qua itidem aliquid hic monendum.

Consiliorum exsequutio quid requirat.

17. *In consiliorum exsecutione tria sunt obseruanda.* (1) *Ne sit praeceps.* (2) *Ne diu dilata.* (3) *Ne arrogans & praesumptuosa. Praecipitantia*, vt alibi ita in consultando & consilia exsequendo, res euertit. Raro simul esse duo ista, *cito* & *bene*, contingit. Saepius quod cito fit, cito perit: canisque properans caecos parit catulos. *Cunctatio* rursum in rebus bene praeuisis plerumque damnosa est: dum consul-

Digitized by Google

sultando agendi quoque tempora transmittuntur, occasionesque rerum gerendarum manibus elabi sinuntur. Si quis denique *fiducia* prudentiae suae nimia de consiliis, consiliorumque euentu, sibi & aliis promittit, facillime fit vt in securitatem & negligentiam prolapsus euentuque frustratus, ludibriis se exponat. Ergo

XXVI. *Deliberandum diu, quod statuendum semel.*

XXV. *Deliberatum recte semel, executioni dandum cito.*

XXIV. *Executionis bona ratione susceptae euentus exspectandus, qualem dabit DEVS.*

Exsecutionem consiliorum suadere, vbi omnia bonum promittunt euentum, boni viri est: euentum ipsum polliceri (praesertim in rebus ambiguis, quas fortuitas vocant) non est prudentis. Maxime ob hominum ingratitudinem: qui, si bene cadat consilium, cuius fida manuductione eo ventum sit facile obliuiscuntur: sin aliter, consultorem accusant. Quasi vero euentum quoque dare possit, qui potuit consilium. Videatur quid hic sapiens Salomo sub sole se obseruasse testetur, Eccles. IX. 11.

18. Atque hae sunt legitime obeundae consultationis iustissimae, vti confidimus, leges; quas si nobis magna in consultatione nostra obseruandas eligimus (debemus autem certe) quid nostri officii sit, & futurum sit, peruidere satis promtum est. Innuamus praecipua quaedam repetendo, vt ne quidquam eorum ignorari a quoquam possit. *Applicatio horum ad praesentem magnam consultationem.*

19. *Quia caussa est communis, RES HVMANAE* (quarum emendationem optare, quaerere, moliri, per ipsam naturae humanae participationem nemini non conuenit) *nemo igitur homo ab hac consultatione excludi, nemo seipsum excludere, debet.* Nos igitur quoque communi iure proponimus, propositurique sumus, omnes qui nos vrgent scrupulos: alii autem omnes, an vrgeant merito, eodem iure expendant. *1. Vt hinc nemo excludatur.*

20. *Et quia in caussa communi cuicunque interesse licet, consilia quoque dare licet; iure nostro vtrinque vtamur.* Nos quidem, vt quid in singulis propositis casibus nobis videatur aperte proferamus: vos autem eadem eodem iure aperte excipiatis, & diiudicetis. *2. Nemoque non audiatur.*

21. Tandem, *quia consultandum nobis est, non rixandum: affectum ergo afferamus omnes vndique purum & serenum:* qualem ego a me promitto, ab aliis stipulor. *Stipulor* inquam, a me & aliis, in hac tam sancta consiliorum tam sanctorum collatione, primum *candorem* *3. Sed omnes hic purissimo candore agant omnia.*

Digitized by Google

candidiſſimum, deinde *ſeueritatem ſeueriſſimam*, tertio *attentionem attentiſſimam.* Tum *audiendi patientiam debitam, iudicandique libertatem placidam, & diſſentiendi modeſtiam. Perpetua denique ad DEVM ſuſpiria, fiduciae plena.*

22. Verum enimuero quia communi omnium alloquio ad conſiliorum communionem omnes inuitare, conditionibusq; & pactis certis obligare, animus eſt, iſtuc iam veniamus!

Caput XI.

Ad placidam de rerum emendatione conſultationem omnium hominum inuitatio.

Conſiliis opus, quando negotium eſt cum creatura rationali.

QVando agrum conſerere paramus ſeminibus, aut demetere fruges: aut aptare aedificiis ligna & lapides, aut reparare collapſa aedificia, vel ſimile quid: reſpectare quidem ad res iſtas (quid de ſe fieri patiantur, aut deſiderent, viſuri) ſolemus: conferre tamen cum illis conſilia nihil eſt opus, quia ſub poteſtate noſtra ſunt: manibusq; noſtris, falcibus noſtris, ſecuribus noſtris, reſiſtere neſciunt. Non ita vero eſt, quando cum creatura rationali negotium eſt: quae arbitrii donata libertate, nihil de ſe ſine ſe ſtatui permittit.

Quod omnes concernit omnes ſciant.

2. Cum ergo opus hoc noſtrum homines concernat, clam illis nihil ſtatuere poterimus. *Et quia concernit omnes: cum omnibus communicandum eſt.* Ideo nos in aperto haec agimus, coram ſole hoc: vt eadem haec audiant, videant, diiudicent, agant etiam nobiscum, illi ipſi, quos haec ipſa tangunt omnia, omnes: adeo illa ad rerum emendationem requiſita *vniuerſalitas, ſimplicitas, ſpontaneitas*, in ipſa iã conſultatione hac neceſſario veniunt obſeruanda.

Quod omnibus dicitur, ex communi dictatura hauſtum ſit.

3. *Quicquid ergo hic dicetur, omnibus dicetur: & tam ſimpliciter, vt intelligi non poſſit non omnibus: & relicta iudicii plena libertate maximo & minimo cuique.* Ex omnibus enim principiis loquemur omnibus omnia. Nempe, vt nobis *communes omnium hominum inſtinctus oſtendant communes*, omnibusque deſiderabiles, *fines*: *communes* autem diuinitus omnibus conceſſae *facultates*, communia ad fines noſtros *media*. *Senſus* denique *communes*, & inſcriptae cuiusque cordi notiones, oſtendant *modos*, mediis illis ſic vtendi, vt fines non aſſequi non liceat.

4. Scri-

Digitized by Google

In praesenti magna consultatione promittitur omnibus.

4. Scribunt Pythagoram dicere solitum: *Si quis puerum octennem intelligenter de quibuuis philosophiae partibus interrogare sciat; rationabiliter ad omnia responsurum: eo, quod rationis lumen, si sciamus uti, omnium rerum mensura sit.* Incipiamus huius rei praxin in praesenti negotio! confido, si intelligenter quaestiones proponere scieremus, neminem fore qui haec legat, quin ad omnia interrogata consilium vel reperturus sit apud seipsum, vel approbaturus ea quae afferri videbit. Praeibimus enim: neque casus proponemus solum, sed & remedia; tandemque determinationem, quid inter plura (vbi erunt plura) videatur optimum.

1. Consiliorum euidentia.

2. Suffragiorum libertas.

5. Non erit igitur cur aliquis ad haec consilia accedere vereatur, vbi nemo illi praeiudicabit; sed ipse sibi in omnibus ac singulis actor, iudex, testis, erit. Speramusque hac via profectum aliquem, vbi nemo in ignotam sibi *auctorum siluam* protrudetur: sed per apertum *rerum campum* sic deducetur, vt propriis oculis, non alienis perspiciliis, omnia & videre & palpare possit. *Solae quippe res, quia sunt id quod sunt, reducere nos in consensum possunt: qui de rebus inter se ipsimet litigant, nunquam id praestabunt.*

3. Decernendorum certitudo. (Innatarum notionum, instinctuum, facultatumque encomia.)

6. Patebit iam tandem, ope DEI: tria illa omnibus nobis innata, *cognoscendi, volendi, operandique principia* (notitias, instinctus, facultatesque communes) *esse depositae in nobis sapientiae DEI sacrosanctas pandectas*: quibus si quid non continetur, necessario spurium sit. Esseque *insculptas nobis, tanquam imagini DEI, aeternas leges:* a quibus vt quis recedit longius, ita se erroribus, sceleribus, miseriisque, implicat profundius. *Et aureas bases, adamantinaque fundamenta*: quibus omnis humanae sapientiae, virtutum, operumque superaedificatur structura. *Et fixissimos cancellos:* quibus cogitationum, desideriorum, actionumque nostrarum omnium vias omnes sepsit DEVS: e quibus *quisquis* euagatur, seipsum in certissima errandi, peccandi, pereundi, praecipitet pericula. *Esse polos & axes:* circa quos omnia nostra cogitata & cogitanda, dicta & dicenda, facta & facienda, vertuntur: a quibus quicquid aberrat, eccentricum, anomalum, vagum & errabundum est. *Soles denique & sidera nostra*, intus nobis lucentia, quoquo nos vertimus nos comitantia, & ab erroribus, vitiis, periculis, praemonentia: sine quibus quicquid est, tenebrosum est. *Consultatio ergo haec nostra, tam communibus principiis innixa, erit communis illa, magna, tuta, amoena via; nos eo, vbi nos intelligere & subleuare incipiamus, deducere sola vna idonea.*

7. Vt

Digitized by Google

Inuitantur omnes gentes, linguae, sectae.

7. *Venite igitur*, quibus sua & generis sui salus cordi est, *ex quacunque gente, lingua, secta, omnes DEI timentes*, omnes confusionum humanarum pertaesi, omnes meliorum cupidi! venite, & a tam communi de communi salute consilio consilia vestra ne separate! Misereſcat vos miseriarum generis nostri: vt si a quoquam quidquam consilii vel auxilii ferri potest, in commune conferamus.

1. Ad spectandum communium desideriorum fines, media, modos.

8. *Venite, finem habemus bonum, imo excellentem*, corruptelarum nostrarum emendationem: DEO in honorem, Satanae in confusionem, generi humano in salutem. *Habituri & ad scopum tam excellentem media pulchra; nec non modos mediis illis vtendi amoenos:* vt exitus bonus, benedicente conatibus nostris DEO, non possit non sperari.

2. Et ad quaerendum communem lucem, solatia, quietem.

9. *Venite! audeamus cum libertate resumere animos*, veritatem rerum, in rebus ipsis spectandi; & bona nostra quaecunque sunt, ab admista illuuie liberandi; communibusque vsibus adaptandi! nempe vt quicquid nos a luce mentium excludit, quicquid a DEO communi creatore separat, quicquid ab inuicem dissociat, tollatur, id communi ope quaeramus!

3. Et ad examinandum varietatem religionum. Politiarum.

Venite! disquiramus inter nos placide, num certi aliquid de omnibus illis, quae nos sic vsque diuellunt, haberi possit? num sit DEVS? & qui sit? quiue cultus eius verus? vt vni illi soli seruiamus brachio vno omnes; aberret ab illius voluntate nemo. *Disquiramus*: numnam aliis super alios aliqua sit potestas? & qualis illa? vt non sic opprimamus conculcemusque alii alios. Et quia similes habemus sensus, mentem, manus, reliquumque naturae apparatum, omnes; resque similiter se praesentant nobis omnibus omnes; *Dispiciamus* quaeso, numne fieri possit vt eodem modo videamus, audiamus, sentiamus, intelligamus, cupiamus, agamus omnes, ea quae sunt, & facienda aut expectanda sunt? fascinare nos non permittentes iis quae non sunt, vel facienda non sunt, nec expectanda.

Philosophiarum.

4. Et ad communicandum nobis inuicem quicquid vsquam repertū fuerit optimum.

11. *Venite quaeso: dispiciamus numnam forsan alicubi veritas sit sine falsitate; pietas sine superstitione; ordo sine confusione?* si alicubi est, vos penes quos est ostendite: bonumq; vestrum, vt bonum commune fiat, efficite. Vos qui veram habetis scientiarum lucem, exponite eam mundi candelabro, vt in commune luceat. Vos qui DEVM habetis verum, eiusque colendi tenetis leges veras; vt animarum illa beata lux aliis similiter luceat, efficite. Si qui tandem regiminis vere liberi & pacifici (seu regni, seu ciuitatis, seu domus

Digitized by Google

domus, seu suiipsius) veram nostis formam, communicate: vt desinamus sursum & deorsum volui, & in inuicem ruere, & sine fine dilabi!

12. *Si forsan nihil adeo absolutum, quod omnibus & sufficiat & placeat, repertum fuerit: quaerendi tamen meliora, quam quibus adhuc distinemur, occasio erit*: atque adeo iam haec ipsa est. Venite igitur, quaeramus meliora, quaeramus optima! quaeramus nobis, quaeramus omnibus! quaeramus constanter, quaeramus semper, dum hic sumus. Quid enim melius agi potest invita, quam vt quaerendo veritatem, inueniamus & veritatem, & pacem, & vitam.

5. Aut si nihil vsquam perfectum inuenietur, ad vestigandum tamē perfectiora quam hactenus.

13. *Nos nihil quaerendum proponere proponimus, nisi quod omnibus prorsus desiderabile videatur: nihil suadere, nisi quod esse possibile omnes homines mox ipsimet agnituri sint: nihil denique polliceri, nisi cuius iam explanatae, aut certa faciliue ratione explanabiles, ostendi poterunt viae.* Si quid tale non fuerit (vt ex aequo omnibus desiderabile ac possibile, ac si res cum ratione suscipiatur facile, videatur) indictum esto, delector, consilii non boni, aut certe inutilis, nota damnator. Qua occasione excitabit aliquem DEVS, qui meliora & certiora, quae in commune magis prosint, ostendere poterit.

6. Et ad audiendum nos placide, de his consilia requirentes placide.

14. Quod vt sperare liceat, venite amici, quaeramus (DEI nos miserantis ope) e tenebris nostris, e tricis nostris e profanitatibus nostris, exitum! Et quidem omnes, vt bene sit omnibus! Si non obtinebimus, desiderium nostrum totum, totum tamen frustra esse non permittet bonitas DEI. Saltem obtinere nos faciet, vt plus sit in orbe terrarum lucis, caliginis minus; plus DEI, Satanae minus; plus pacis & ordinis, minus discordiae & confusionum. *Si omnibus morbis non inueniemus remedia*; at saltem vt reperiantur quam plurimis, magisque sonticis, videamus. *Ignorantiam ex humana vita omnem tollere si nequeamus* (futurae vitae forsan id seruatur) saltem ignorantiae ignoratio vt tollatur, danda est opera: tum ne putemus nos scire, quae nescimus; tum vt quantum illud sit quod nescimus, scire; & ad vitam illam, vbi cum aliis bonis scientiae quoque asseruentur thesauri, appetitum magis extendere incipiamus. *Si non omnem impietatem tollere possumus*; saltem, vt ne tamen tantis impetatur blasphemiis sanctissimum numen, annitamur. *Si denique non omnes lites nostras tollere possumus*; saltem ne ita perpetuo conflictemur, & nos conteramus, obtineri poterit: si non tamen constanti temeritate cum DEO, rebus, nobisque ipsis, agemus, omnes tamen aliquando vias rationis sequuti. In

7. Et ad participandum bonos successus, qualescunque futuri sunt.

Digitized by Google

summa: *satius est, ad quaedam non penetrare, quam negligere omnia.*

8. Aut certe ad participandum horrorem, qui ex obstinatione malorum nostrorum orietur.

15. *Quo maior haec res est, eo obligatiores sumus ad eam quaerendam omnes: eo etiam excusatiores, si forsan euentu destituemur.* Magnis ausis excidere etiam melius est, quam non aggredi *Sed excidere in totum non possumus.* Nam vel inueniemus quod quaerimus, vel certe quo plures & maiori nisu rem hanc quaerimus, & quo minus successuum reperiemus, eoque haec etiam via inefficax apparebit! adaperietur nobis eo magis horrenda corruptionis nostrae abyssus, cui sola DEI omnipotentia sufficit: eoque magis hominum suspiria ad DEVM, vt brachium exserat, inardescent: magisque tandem aeternitatem ipsam, vbi dies erit plenae restitutionis omnium, omnes pii anhelabunt.

In summa, ad communicandum de communis salutis solicitudine.

16. De quibus tantis rebus quicunque iudicare potestis, adesse, consiliaque audire & ferre, ne aspernemini! *Nemo sibi tam hospes in mundo videatur, vt haec aliena a se putet. Nemo tam sublimis, qui non se huc demittat. Nemo tam humilis, qui non hic se attollat. Omnis vallis exaltetur, omnis mons & collis humilietur: quia Domino paratur via.*

In specie rogantur, vt huc mentem advertant, quibus rerum humanarum commissa est cura.

17. *Ante omnia vero euigilate, quibus praeesse rebus humanis datum est? Vos generis humani paedagogi, philosophi: Vos animarum a terrestribus ad coelestia duces, Theologi: Vos orbis interea arbitri, pacisque inter populos sequestri ac custodes, potestates seculares! Omnes vos simul humani generis medici estis; pro obiecto habemus intellectus, voluntatis, facultatumque morbos. En vobis aegros vestros sistimus omnes simul, totum mundi nosocomium!* Venite igitur, in commune consultate! id acturi ad quod vos DEVS vocauit, aegerque ipse, salutem suam vobis committens, suppliciter a vobis requirit! ad minimum certe, dum haec sic de commmuni salute deliberanda proponuntur, vos prae aliis, & ante alios, attendetis: vtque deliberatio recte procedat advertetis. DEO reddituri rationem, si quid somnolentia vestra fuerit admissum, quo aut rebus humanis fraus inferatur, aut salutare aliquid intercipi & perire permittatur.

Quid hic videndum

1. Philosophis.

2. Theologis.

3. Politicis.

18. *A vobis philosophi, quorum est rationes rerum scrutari, in specie postulo:* vt videatis, num quod proponitur, per omnia sit rationabile; & num rationes rerum sic recludantur melius, quam vulgatis viis? *A vobis autem theologi, quorum est separare pretium a vili, & sic esse quasi os DEI.* (Ierem. XV. 19.) vt attendatis & iudicetis, num hic satis caute separentur pretiosa a vili? hominesque a vanis mundanis ad vera coelestia sic traducantur melius? *a vobis denique politici, quorum est videre ne quid respubl. detrimenti capiat, postulo* vt videatis, num redu-

Digitized by Google

reductis hoc modo ad legis DEI & naturae omnibus, reipublicae mundanae a detrimentis & cladibus sic satis cautum iam fore sperari possit?

Postulata solennia et opus hoc aggrediamur.

19 *Paciscamur vero iam in operis limine constituti religiose, tanquam in conspectu DEI, omnes nos. Primum,* vt nobis omnibus *scopus nonnisi vnicus sit*, SALVS GENERIS HVMANI. *Quomodo* nimirum *liberari possit mundus* (1) *a partium studiis*, quibus infinite scindimur, in scholis, Ecclesia, Politia, (2) *a multiplicitate*, qua infinite intricamur ac perplexamur, in scholis, ecclesia, politia: (3) *a coactionibus & violentiis*, quibus distorquemur & affligimur infinite, in scholis, ecclesia, politia. Reducique omnes queant ad communis (sed integrae per omnia) salutis studium; ad simplicissimam in omnibus veritatem; ad placidissimam deniq; rerum omnium tranquillitatem.

1. *Sincere*, communis salutis promouendae scopo.

20. *Cumque susceptum hoc opus DEI sit, agendum id omnes suscipiamus reuerenter quidem, magna tamen fiducia; de DEO sic, quomodo maiestatem eius decet: sentiendo.* Statuamus esse *bonum*, qui non aliud velit quam bene esse creaturae suae: & *sapientem*, qui inuenire sciat media voluntati suae idonea; & *potentem*, cui decreta sua exsequi in manu sit.

2. Confidenter

21. *Tertio, consentiamus in eo, vt de his rebus quae generis humani spectant salutem sermones conferamus, auide* sine tergiuersatione; *& placide*, sine tumultu: *& rationabiliter*, sine sophisticatione. Nempe *vt nemo inter nos omnes reperiatur, qui votis omnibus reluctari, aut manifeste veritati repugnare, aut quod in communis boni augmenta conferre possit, non conferre, impedire potius, animum inducat.* Si quis tentauerit, DEVS vindex esto!

3. Concorditer.

22. *Quarto, vt toto in opere nullus alius nobis omnibus, quam communis salutis respectus sit. Respectus personarum, gentium, linguarum, sectarum, in vniuersum seponatur:* ne se forsan consiliis nostris amor aut odium, inuidia contemtusue aliorum, mali ad concordiam consultores, intermisceant. Cur enim alii despiciamus alios? vnius mundi ciues sumus omnes; imo sanguis vnus omnes Odisse hominem quod alibi natus sit, quod aliam loquatur linguam quod aliud quid de rebus sentiat; quod plus aut minus quam tu intelligat; quae incogitantia? Desinamus obsecro! homines enim sumus omnes: imperfecti ergo omnes: iuuandi ergo omnes: debitores igitur hac in re omnibus omnes. Praesertim quos DEVS prae aliis sapientia, vel consilio, aut robore instruit, DEVM imitentur, fiantque omnibus omnia. Et quia DEVS diuersimode sua largi-

4. Affectu alii in alios puro.

Digitized by Google

largitur dona, vt alius hic, alius alibi, vel videat vel caecutiat magis, ſaepiusque: & contemptioribus nonnunquam vtitur organis (vt vbi minus ſpei, ibi aliqua ſapientiae DEI ſcaturiat vena) relinquamus quaeſo morem ſuum DEO, vt quibus vult vtatur organis: ſuggeratque in praeſenti etiam conſultatione quicquid boni conſilii vult, ex quacunque gente, tribu, ſecta, primo vel vltimo, prouti vult. Ipſius enim ſumus omnes, ille nos nouit omnes, ille diſponit de nobis omnibus ſecundum beneplacitum ſuum. Non ideo quod nos inuicem toruum aſpicimus, aut oculos alii ab aliis auertimus, ſol etiam coeleſtis nobis aliquibus radios ſubtrahet ſuos; aut aliter hos, quam illos, intuebitur. Multo minus aeternae miſericordiae fulgor noſtris ſe immiſcebit affectibus: vt luceat quibus nos volumus, non luceat quibus nolumus. Iterato igitur obteſtor & proteſtor: *conſultationis hoc opus cum commune ſit omnibus, vt communes ſunt confuſiones illae, quibus remedia quaerimus; & DEVS ille, a cuius miſericordia miſeriarum leuamen expetimus, & exſpectamus.*

5. In rem autem ipſam intentione ſeuera.

23. *De hinc poſtulo, oro, obteſtor, vt dum corruptionum quaerimus emendationem, veram & realem quaeramus, non fictam aut pictam: ne conatus ſerii in luſum exeant, aut ludibria.* Quaerendum proponamus rerum cognitionem, ſed veram: quaerendum numinis cultum, ſed verum: quaerendam humanae ſocietati pacem, ſed veram, ſolidam, duraturam. *Falſae philoſophiae quis vſus eſſe poteſt, obſecro? & quis falſae religionis? quis politiae falſae?* Decipiantur perpetuo qui decipi volunt! nos ne amplius decipiamur, vera bona quaerendi ſtet propoſitum! fucata, quae decipiant, nemo ſanae mentis optet.

6. Et praeconceptis opinionibus interim depoſitis,

24. *Et quia nos*, gratia diuina freti, hoc conſultationis opere *oſtendere poſſe ſperamus* quae ille videre dat, ante omnia *lucis vniuerſalis fontes veros; tum in hac luce expanſum rerum orbem plenum; & dehinc mentibus humanis ſcientiam rerum blande inſtillandi infundibula certa; diducendique lucem hanc per omnes gentes canales paratos; melioris denique ſeculi faciem formoſiſſimam*: poſtulamus, *quinto*, vt quisquis haec ſpectatum venies, oculatus venias! oculis tamen puris, & aſpectu libero, perſpiciliis amotis; ne ſi quid nouum, & quaſi inſolens, obueniat, praeiudicio abripiaris! Dilapſi enim ſumus in opiniones, non eodem modo de rebus iudicamus. *Quod moneo, non vt credulitate quisquam pecces, & forſan decipiaris; ſed vt videas, annon hic aut illic decipiaris. Apertis itaque oculis accede nihil time: videbis omnia per claram lucem.* Quae ſi aeque vidiſti antea, gaudebis te iſta non ignoraſſe, circa illa non erraſſe. Si non vidiſti, aut aliter vidi-

Digitized by Google

vidisti, gaudebis magis etiam, te ignorantia & hallucinatione tua liberari. Si denique melius quam nos aut vidisti, aut occasione hac prospexisti, maximo tuo & nostro gaudio meliora illa caeteris ostendere, communemq; sic locupletare thesaurum, poteris.

7. Et assumto proposito consultationem edurandi.

25. *Postulo sextum: cuicui consultationibus his interesse libuerit vt simul libeat non prius quam post audita consilia omnia, sese subducere.* Vniuersalitatem merito hic etiam vrgemus, particularitatem deprecamur. De toto proposito iudicandum est: aut omittendum totum. De toto autem qui iudicare vult, totum prius cognoscat necesse est: quia de re ignota, aut parum nota, male iudicatur.

8. Pacateque agendi.

26. *Septimo, in toto hoc opere pacisco affectus vndique sedatos, a contentionis pruritu puros. Nolite rixari in via*, dixit ad fratres suos Iosephus. Neque igitur nos in hac fraternae consultationis via rixemur, exprobrando alii aliis pristinos aliquos errores, aut suspicando. Nouos noua communis veritatis, comuniter iam iam omnibus affulsurae spes, meliora nos duntaxat prospectare; eorum quae a tergo sunt obliuisci, faciat. *Ne rixemur quomodo incendium ortum sit: potius quomodo sit exstinguendum laboremus. Nemo amplius cum filiis tonitrui, Iacobo & Ioanne, ignem irae de coelo supra contradicentes deuocet; omnes cum Christo ignem charitatis de coelo mutuemus, vtque super terram ardeat optemus.* Nec inflemur scientiae opinione alii aduersos alios: sed per charitatem demittamus nos ad seruiendum alii aliis; certo persuasi, *magis curae DEO esse humiliter errantes, quam per veritatis viam superbe incedentes.* Ita nobis coram DEO humilitas, & erga confratres charitas, veritatisque cognoscendae amor purus, fidi ad vniuersalem consensum duces erunt.

9. Etiamque dissentiendi nonnisi amice.

27. Si nihilominus tamen oculatus aliquis, cur a nobis cum ratione hic aut illic dissentiat, inuenerit: *postulamus*, octauo, *vt amice dissentiat, non hostiliter, h. e. propter dissensum vna & altera in re consensum in reliquis, aut etiam toto tam hormonico opere, ne deserat.* Non frustra hoc monemus qui dissensionis vim ad turbandum consensum non ignoramus. Corporis nostri valetudo blanda humorum ad invicem temperatura potissimum constat: sed quam vel vnius membri affectio dolorifica turbat, omnibusque membris non bene esse facit. *Idem in rerum scientia, hominum regimine, Numinisque cultu, euenire videmus, vt vnica dissensio plus aestimetur, quam consensiones mille.* In tota Mahomedi doctrina consentiunt Turcis Persae: dissentiunt in leuiculis quibusdam, & quam atrocia sibi ideo faciunt bella? Iudaei nostri cum Israelitis Asiaticis Mosen &

Digitized by Google

Prophetas pariter amplectuntur: propter traditiones tamen Talmudicas, a noſtris receptas ab illis reiectas, horrendūm in modum ſe inuicem exſecrantur. Et quid nos Chriſtiani? omnes totam Chriſti doctrinam acceptamus, interpretationibus tantum, ſed eheu quam hoſtiliter, diſſidemus! *Tam ſcilicet harmonice fecit nos Creator noſter, vt diſharmoniam nullam ferre queamus.* Sed delicati eſt nihil ferre poſſe: Vir fortis tolerat omnia, & ſi poteſt emendat: quod vtrumque DEVS ipſe nos exemplis docet perpetuis.

10. De ſolicitando communibus votis DEO.

28. *Tandem* peto, *omnes vnanimiter DEVM oremus, ne noſtra haec, pro emendando miſero noſtro ſtatu molimina, maieſtati ſuae diſpliceant: iuuet potius benigne, ſucceſſuque optato coronet.* Negotium hoc certe non noſtrum eſt, ſed illius, cuius nos ipſi miſera creatura. Corpora quippe noſtra, animae noſtrae, vita noſtra, omnia noſtra, ſicut & mundus ipſe eius ſunt qui fecit, quanquam noſtri cauſa fecit, noſtraeque fidei concredidit. Quae ergo emendare quaerimus, eius ſunt: aliena vero tractare inuito Domino nemini conuenit. Et quamuis per bonitatem eius liceret, per imbecillitatem tamen noſtram citra auxilium eius quid nos poſſe ſperemus? Corrumpere; quae recte conſtituit ſapientia eius, ſatis gnara eſt ſtultitia noſtra! reſtituere illius eſt, non noſtrum opus. Tum vero *quia lucis opus inimicum eſt regno tenebrarum, colluctandumque hic neceſſario erit, non tantum cum inſcitia, ſed malitia quoque & peruerſitate, & contumacia, humana & diabolica, aſſuetas ſuas tenebras tutantium: ſi operari luci, & lucis parenti DEO, pergimus, nonniſi ſub ipſius auſpiciis, directione, ſcuto, operari poterimus. Ad illum itaque conuerſi omnes, ex intimis viſceribus viſcera miſericordiae eius ſolicitemus omnes!*

Caput XII.

Communia generis humani ad DEVM ſuſpiria.

Adorande mundi Praeſes, ſancte DEVS deorum, ſolus vnus, verus, viuus DEVS, extra quem non eſt alius, *DEVS vniuerſae terrae, quem adorant etiam qui adorare neſciunt.*

2. Ad te conuerſi omnes laudamus benedictum nomen tuum, pro omnibus in nos collatis beneficiis tuis: qui nos, & noſtri gratia mundum, condidiſti: nosq;

per

Digitized by Google

per tot generationes, totque iam annorum millenarios, vna cum iſthoc habitaculo noſtro, tam mirabiliter conſeruaſti. 3. Sed prolapſi ſumus, eheu! Domine, in tot miſerias, quas tu vides: imo in tot abominationes, quos odit anima tua. 4. Corrupti enim ſumus omnes: totum generis noſtri corpus morboſum eſt. 5. A planta pedis vsque ad verticem non eſt in eo ſanitas, ſed vulnus, & liuor, & plaga tumens. Non eſt circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo. 6. Quia tu indignatus peccatis noſtris, ingredi ſiuiſti gentes omnes vias ſuas, nunquam licet ſine teſtimonio te reliquiſti: benefaciens, & de coelo dans pluuias, & implens cibo & laetitia corda noſtra. 7. Et tempora quidem ignorantiae noſtrae conniuendo diſſimulans, nunc annuntias omnibus hominibus vt poenitentiam agant. 8. Nos igitur, *Domine*, ecce comparamus nos quaerere faciem tuam, quaerere emendationem viarum noſtrarum! 9. Sed quia nos miſelli nihil nos poſſe ſentimus, niſi manus illa quae creauit nos ſubueniat nobis: oramus per miſericordiam tuam, ne nos miſeriis noſtris remedia quaerere prohibeas, quaerentesque illa ne deſtituas! 10. Da videre, *o lux aeterna*, quicquid vtile eſt! da ſequi, quicquid bonum eſt! da tandem exſequi, quicquid placitum eſt tibi! 11. Tua ſumus progenies, miſerere noſtri! nosque a te, & inter nosmet ſic ſine fine diſſidere, errare; labi ne permittas! 12. Ah delectarisne tenebris noſtris, morbis noſtris, interitu noſtro? 13. Abſit tam impia cogitare de bonitate tua! qui mortem non feciſti, neque delectaris perditione viuorum. 14. Creaſti enim omnia vt eſſent, & ſanabiles feciſti nationes orbis terrarum. 15. Miſereris omnium, quia omnia potes; & diſſimulas peccata hominum, vt reſipiſcant. 16. Diligis enim omnia quae ſunt, & nihil odiſti eorum quae feciſti: nec enim feciſſes, ſi odiſſes. 17. Reſpice quoq; nos diſperſos per vniuerſum orbem tuum! 18. Ecce *Domine*, multiplicaſti nos ſecundũ promiſſionem tuam! vt iam impleuerimus *Europam*, *Aſiam*, *Africam*, *Americam*, omnesque *Inſulas maris*! Sed nondum multiplicaſti nobis omnibus gaudia. 19. O miſerere igitur iam tandem! o iam tandem miſerere! lucemque & benedictionem tuam ſuper nos omnes demitte, omnes pro omnibus oramus! 20. Vnum enim ſumus, & tamen non ſumus vnum! quia noxie diſſidemus. 21. Quod vnum ſumus, a te vno creatore eſt: quod diſſidemus, a potente aliquo & aſtuto impoſtore, hoſte tuo & noſtro. 22. Semperne impoſterum hunc tolerabis? conſtanterne tibi tuam progeniem,

Digitized by Google

geniem, quam tu tibi, non illi, genuiſti, abduci ſines? 23. In aeternum tenebras noſtras ſpectabis, & eas diſpelles nunquam? 24. Scimus noſtram eſſe culpam, quod vanitates ſequuti te lucem amiſimus noſtram. 25. Sed reuertere ad nos, vt reuertamur ad te, *Domine!* 26. Euibra potenter lucis tuae radios, *o lux aeterna!* vt diſiiciantur tenebrarum noſtrarum caligines! 27. Non aliud quaerimus, quam quod ſeruiat gloriae tuae, *o DEVS!* vt tam vnum in te ſimus omnes, quam tu omnium conditor vnus es: recollecti omnes ad agnoſcendum te vnnm, extra quem non eſt alius DEVS; & ad ſerviendum vno humero tibi, praeter quem non eſt alius Dominus. 28. Si qui iam videmus in lumine tuo lumen, da vt caeteri quoque videant, & exultent! 29. *O Pater luminum*, depura in nobis omnibus mentis lumen! vt omnes videamus te, & quae a te, & ſub te ſunt, ſicuti ſunt. 30. *O animarum amator*, da vt exardeſcant in te animae omnium noſtrum, vt te vno puroque amore proſequamur omnes! 31. *O Rector vniuerſi*, corrige vniuerſas exorbitantias noſtras! vtque ſub vniuerſali tuo ſceptro, in hoc ſubcoeleſti tuo regno, rationabiliter cohabitemus iam tandem omnes, effice! 32. *Domine da nobis Philoſophiam veram: da religionem puram: da politiam quietam*! vt ſapienter, ſancte, tranquille, degamus in praeſenti ſeculo, ~~donec transferamur~~ ad te: & cohabitemus tibi in beata, nunquam deſitura, aeternitate tua! 33. *O creator omnium*, eſto quoque miſerator omnium! 34. Qui omnes radiis ſolis tui circumfulges externe, eosdem quoque omnes miſericordiae tuae radiis circumfunde interne! 35. *O amor! o bonitas!* da ſentire de te in bonitate! da quaerere te in ſimplicitate! da inuenire gratiam!

36. *Domine miſericordia tua in ſeculum!* opera manuum tuarum ne deſpicias!

AMEN, AMEN, AMEN.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google